



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Christophori Longolii Lvcvbrationes**

**Longolius, Christophorus**

**Lvgdvni, 1542**

Christophori Longolii Epistolarvm Lib. III. Christ. Long. Iac. Sadoleto  
Episcopo S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69441)



## CHRISTOPHORI

LONGOLII EPISTO-

LARVM LIB. III.

CHRIST. LONG. IAC. SADOLETO

EPISCOPO S.



NON iccirco breuius, quàm consuetudo mea ferat, tecum nūc ago, quin ualde multa habeam quæ abs te sciri diligēterq; curari mea plurimum interfit: sed quia cum mihi uideor nactus hominē qui illa ad te multo commodius perlaturus sit, quàm ipse ullis literis tibi explicare queam. Itaq; cum literarū mearum ignosces breuitati, præsertim cū tam lōgo interuallo scribā: tum uero quæ M. Caballus noster ad te mādata mea detulerit, ea sic tibi erūt curæ, ut & summa mea erga te obseruātia, & singularis tua in me beneuolētia, hoc tēpore postulat. Scis quarū tu me ad rerū laudē semper excitaris, scis quo consilio huc ipse me contulerim: nec de eo, opinor, etiā dubitas, quin dies ac noctes hoc unum hic adhuc egerim, ut quam tua prædicatione de me concitasti expectationē, hanc ego tueri ac sustinere aliquando possem. Atqui nūc periculum est mi Sadolete, ne tantus studiorum ardor in ipso conatu, uel in ipso etiā processu plane extinguatur. Quod ne fiat, etsi in alterius potestate id est positum, quia tamē apud illum, penes quem iam sunt omnia, multū autoritas tua ponderis habitura est, da, quaeso operam, ut is etiam atq; etiam intelligat, esse præcipuam quodammodo meam istis in angustijs causam, qui nec magnum quiddam ab eo qui rerū potiatur, postulem, & is postulem qui fidem eius secutus, Italiam patriæ, & propinquis, & fortunis illis omnibus

x s antepo



ante posuerim. Denique recentis huius uictoriae gloria possis animum eius ad pristinae liberalitatis memoriam reuocare. Nam desperato studiorum nostrorum fructu, si quā modo ea de re spem habes, aut etiam si nullam magnopere habes, non nihil subijcere non inutile fuerit. Sed pluribus quā constitueram, praesertim ad te, qui cum hoc artificij genus tenes unus omnium optime, tum etiam postquam me infidem atque amicitiam recepisti tuam, nullum mei non modo tuendi, sed augendi etiam atque ornandi locū praetermiseris. quare finem facio, si illud addidero, quod utinam addere nihil esset necesse, nō quo nolim tibi omnia debere, cui quidem penē debeo omnia, sed quod graue sit, homini pudenti, ab eo, cui, cum de te sit optime meritus, nullam tamen possis gratiam referre, magnū praeterea aliquid petere. Sic igitur habeto: Esse te iam unum in Italia in quo tuendi oij nostri spes omnis sit posita: quae ne me spes fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale. Ex urbe Patauio, VII. Calend. Decembr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**Q**ui tibi has literas reddiderunt, Galli ij sunt homines, quos tibi ut coram commēdarem, ad te nudiusquartus ueni. Alteri eorum Carolo Bracheto est nomen, Maturino Galiardo alteri. Docui eos quid istic factū esset opus: facturos non dubito. Omni cautionis genere tibi cauebitur, chirographis, iurisiurandi religione, factis ad tabulam nominibus. Tu uero etsi iam rogandus non es, qui uel constantiae tuae causa eos sis complexurus: fac tamen oro, tantum sibi à te commodatum esse intelligant, quantum ego ex tuis uerbis ipsis sum pollicitus, & tute mihi humanissime liberalissimeque facturum recepisti. Hoc si  
à te



à te impetrabimus, cum mihi, qui quantum eorum causa la-  
borem non ignoras, pergratum feceris: tum etiam tibi ho-  
nanes gratos ac memores in perpetuum deuinxeris. Ludo-  
uici viuis somnium, quod cum iam pridem istuc reliquis-  
sem, nuper apud te adhuc esse sum miratus, alterutri isto-  
rum ad me perferendum dabis. Et quoniam somnij mentio  
facta est, scito me ea nocte cum istinc solui, nihil omnino  
cepisse somnij. Coarctatus uectorū multitudine, et æstuās,  
neq; sedendi neq; iacendi, neq; ambulandi, neque adeo re-  
spirandi facultatem liberam habui. Quid quæris: nec mo-  
lestius quicquam adhuc sum hoc anno perpeffus: nec uero  
posthac committam, ut quò possim interdum, eò noctu na-  
uigem. Vale. Ex urbe Patauio, IIII. Nonas De-  
cembri.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**M**iror nihil adhuc abs te, de Decimi Leonis obitu, mi-  
hi esse missum, præsertim cum iam quartum hic diē  
constanti rumore fama percrebruerit, oppressum impro-  
uiso morbo illum Cal. Decembr. Romæ concidisse, & è uita  
postridie eius diei excessisse: Grimanum antistitem ad co-  
muita istinc eò iam deuolasse. Equidem statim accepta à  
Gallis illis epistola tua, ipse scripsissem, nisi mihi, dum tu  
aliquid tanta de re scriberes, expectandum duxissem: qui  
(ut scis) tantum me huiusmodi rerum scire puto, quan-  
tum ex literis tuis cognitum habeo. Quantum autem mea  
interfit, si uerus est is nuncius, ut de rebus meis tecum de-  
liberem, ignorare te non arbitror: quanquam mihi sic non  
tam consilio quam auxilio tuo est opus. Quare per Deum  
scribe, & si quidem ille obiit, cum Petro Bembo de nobis  
communica, caute que quid is de me futurum speret,  
exq



exquire. Scriberē ad eum, si aut quid certi haberē, aut ab eo literas meas libenter uel hoc tēpore uel tam infirma ualitudine legi posse existimarem. Caro. Brachetus, et Mart. Galiardus incredibiles mihi, nec minus tamē tibi apud me gratias egerūt. Nec liberalius se, nec humanius à quoquā tractari potuisse affirmāt. qua quidem ex re cū ego quoq; maximam capio uoluptatem, qui eorum causa uolo, tū uero etiam ipse tibi, ut debeo, gratias ago maximas, qui mea commendatione adductus, homines tibi plane ignotos, & prorsus alienos, non modo officijs tuis sis complexus, sed hoc difficilimo tēpore, in tantis angustijs, re etiā familiari tua prolixè iuueris, idq; uulgari tātum adhibita cautione. Hoc sanē neq; horū est tēporum, neq; morū: sed proprium tuum. Expecto abs te aliquod uuae passæ pondo. eius enim quam mihi superiore mense curasti, iam ne acinus quidem reliquus est. In eo illud quoq; uidebis, paulo firmior capsula ut sit, & uua ipsa aliquanto liberalius condita. Nam ut plenior sit, atq; recentior, à me ne admonēdus quidem es, qui abs te ea de re sum admonitus. De diligentia quam in permutanda pecunia nostra adhibuisti, multū te amamus: sed tamē scire uelim, cui nam illam scribendam curaris, ut cum dies uenerit, nisi rescripta tum sit, à quo argentū petatur, habeamus. Quæ porro sit in rationibus uestris perscriptionis & numerationis differentia, uelim cum uocabit, accuratius me doceas: non quo nesciam aliud esse omnino & facilius perscribere pecuniam, aliud & difficilius numerare præsentem: sed in facienda uersura quātum collybi, & usuræ præterea ratione numeratam sumētibus decedat, cognoscere cupio. Ascribe illud item, quot sit unciarum ista uestra marca. Nam libram esse unciarū duodecim, unciam quatuor & uiginti scrupulorum, scrupulum rurs



rursus obolorum duorum, obolum deniq; in semiobolos, quos caratos uulgus appellet, diuidi, nemo ignorat. Comū ab Hispanis & Germanis magna uis oppugnatum fuisse, sed aliquanto maiore à Gallis defensum, hic quoq; audieramus. Lautrecum in Vincentino agro hybernaturum minime putaram. Fœder. Gonzagam Bosulanum Cremonæ præsidio fore non despero. Fulgosios in retinenda Genua perseueraturos uideo, præsertim si quæ de Pont. Maximi obitu nunciantur, uera sunt: de quo ut me quamprimum facias certiores, à te uehementer peto, cætera per ocium. De Villanouano nostro Egnatium appellato: dignus est adolescens, cui etiam tu, nō modo ille & ego, plurimum faueas. Nos, etsi in tanta rerum omnium perturbatione, atrocissimo quoq; hoc nuncio sumus percussi: tamen in studijs nostris libenter uiuimus, atq; ea ipsa tueri à nobis posse; ad annos quinque non desperamus. Tu modo fac, quemadmodum cœpisti, ut rationes nostras tibi curæ esse intelligam. Vale. Ex urbe Patauio, VI. Id. Decembr.

CHRIST. LONG. OCTA. GRI=  
MOALDO S.

**A**ccipio cessationis tuæ causam: sed ita, ne quid eiusmodi quod mea inter sit, ad me scribere posthac uereare, ne si permolestum quidē id mihi fore uidebitur. Satis crit rem ad me pertinere, ut mihi officium tuum gratum sit: ut etiam iucundum, tu quidem præstare non potes, neque uero debes, qui nō quod uis ipse, sed quod res cogat, id meo mandato ad me mittas. Itaque si non quàm cupis iucundos, qualescunque certe poteris mihi afferto nuncios, etiā ut eos non satis exploratos habueris. Nec enim, quod uereris, temere commouebor, præsertim si nihil affirmaueris ipse: & in omnem partem rebus meis maturius consulue-  
ro,



ro, siquid modo tale fuerit, cui consilio prouideri possit. Ex Leonis Pontificis morte magnum accepi dolorem, magnam plagam: qui cum auctoritatem promissa que eius secutus contra meorum omnium uoluntatem in Italiam redierim, nunc me plane destitutum hic uideam, illic etiam ludibrio fore intelligam. Sed his malis aut non succumbemus, aut etiam aliqua ratione medebimur. Omnino nihil iandudum tam præter opinionem meam accidit, quam ut ille ætate optima, ualetudine firmissima, ratione uictus exquisitissima, sub ipsum brumæ tempus idq; saluberrimum repentino morbo extingueretur: atque tum maxime nobis eriperetur, cum ut uiueret, ei quoque maxime expediret, siue rempublicam compositurus fuit, siue etiam hac recenti sua uictoria fruiturus. Scilicet ad hæc ludibria nascimur, ut tum potissimum nulli simus, cum nos maxime florere arbitramur. Atque hoc ipsum est, mihi crede, quod me consolatur: nihil esse in istis, quæ uulgus admiratur, certi. De uua passa ualde te amo: uerūtamen cū capsulam, in quam illa conijceretur, firmiorem uellem, nō funiculo multiplici arctius uinctam illā, quod à pueris tuis diligentissime factum simul & risi & mehercule probaui, sed materiem solidiorem atq; aptius compactam desiderabam. Sed redeo ad rempublicam. Trans Alpeis, ut uideo, frigent omnia: tametsi non desunt, qui Tornacum arctissime obsideri etiam nunc contendant, & cohortem Heluetiorum unam à Belgis illic esse concisam. Francorum Regem in hac tanta gerendarum rerum occasione minime cessaturū puto, nisi forte is quoq; transalpino frigore congelauit. Comum à Pontificijs copijs captum esse, hic auditū est: sed uine an pactione, adhuc incertum. Franc. Sfortiam Bartianum ab Heluetijs Italia prohiberi, cum ijdem Heluetij



luctij Gallos Mediolano in eius gratiã nuper expulerint, mihi quidem est mirum, sed non ab eius gētis ingenio prorsus alienum. De Iulij Medicis opibus tibi facile assentior, aut ipse aut factionis eius aliquis Pont. Maximus creabitur: idq; propediem futurum spero: sin aliter, de eo uementer timeo, & diuturniore quàm homines existiment, interregno comitia prolatũ iri uideo: neq; sic tamẽ ea gratuita fore puto, nisi nos deus extremis his penè tẽporibus respexerit. Quid interim Bentiuolos putas? quid Balliones? quid Aestenses? quid Franc. Roborianum Vrbinatẽ? Nam à Bononiensibus ipsis præfectum suum casum iam esse, hic nunciatum est, & nonnihil Rauennæ tumultuatum. Gallos quidem & Venetos Mediolanum uersus iter facere pro certo hic habetur: neq; tamẽ qua id fiducia, satis adhuc perspicio. Rescribas ad omnia. Mitto tibi (quas petis Gallorum literas eodem exemplo conscriptas. Vale. Ex urbe Patauio, Id. Decemb.

CHRIST. LONG. IACOBO  
SADOLETO S.

**E**X literis meis, & ijs quæ M. Caballo ad te nuper dedi mandatis, intellexisse te puto, & qui rerum nostrarum hic esset status, & qua mihi in re autoritate tua tum quidem opus. Nunc uero cum omnem spem, & omnia tuendi ocij nostri consilia necopinata & improuisa ista Leonis Pontificis Max. morte peruersa uideas, ineunda tibi noua aliqua tuendi nostri est ratio. Mihi enim deest cõsiliium, neque hic sanè spes ulla ostenditur. Petrus quidem Bembus, cuius potissimũ opibus, si quid tale accidisset, me sustentatum iri arbitrabar, longo illo et difficili morbo ita etiã nunc implicatur, ut nec ipse mei meminisse possit, nec ego ei hoc tempore molestus esse uelim. In te reliqua spes est,



est, qui etsi non satis exploratum habeo, quantum me hoc in genere iuuare possis, tamē quia uel rationes meas nosti, uel etiam multos istic familiaritate & amicitia cōiunctos habes principes uiros, à quibus aliquid studijs nostris adiuuenti afferri posse & opis confido, peto abs te pro singulari tua erga me beneuolentia, ut siquid tibi uenerit in mentem, quod nobis commodo & ocio nostro usui fore uidebitur, eiusce rei cogitationem aliquam atq; actionē suscipias. Agerem tecū pluribus uerbis, nisi cum te mea causa uelle non dubitarem, tum uero res ipsa per se satis loqueretur. Tantum habeto, si mihi hoc meo tempore, abs te consultum esse intellexero, percepturum te aliquando magnam ex officio tuo uoluptatem: neq; uero eam laudū tuarum fore ultimam, quòd Christ. Long. aliorū omnino opera in altum delatū, sed in ipsis medijs fluctibus misere destitutum, ipse tu ex omnibus unus cōmendationis tuæ aura in portum perduxeris. Vale. Ex urbe Patauiō, Id. Decēb.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

**C**ongelarunt (opinor) istic quoq; non modo trās Alpes omnia. Nos tamen hic magna sumus in expectatione, quā de comitijs Pontificijs, quā de Sfortiæ Barriani aduētū, quā de Cremonæ obsidione, quā tamen nullam fore tibi affirmo. Nam Balliones, Roborianos, Aestenses, Bentiuolos etiam conglaciasse uideo. Te uero nescio quo ueterno terpere, qui tamdiu taceas: neq; hoc saltem, an tibi Gallorū eodē exēplo sint redditæ literæ significas. Ego enim statim ab accepta uua Corynthia rescripsi, simul & quēadmodū postularas, illas tibi misi. Si nihil erit qd scribas aliud, de eo certe me uelim certiorē facias, Gallorū literas acceperis nec ne. Vale. Ex urbe Patauiō, I x. Cal. Ian.

CHRIST



CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**A**ccepi binas à te literas : alteras ad xvii. alteras ad x. Cal. Iun. datas. Superioribus statim non respondi, quòd tu uni meae epistolae nihil dũ rescripsisses. Nunc igitur ad ambas tuas. Tornacũ in Cæsaris potestatem uenisse iam sciebamus, sed id mihi tamen ex tuis literis factũ est notius, qui etiam quibus illi cõditionibus deditiõnem fecerint, ascripseris. Verũ ea res nõ tam Frãcorũ rebus aduersa est, quàm Belgis cõmoda, qui Tornaco & Morino quasi quibusdam compedibus uincti tenebantur. quãquã de capta Morinorũ Terrouana nihil adhuc scriptum. In eo potius magnã accepisse plagã Franci uidentur, quòd in ipso ardore belli medio illic quoq; Heluetiorum perfidia proditi esse dicuntur. Quod ipsum si uerũ est, quo iam militũ genere sint usuri, plane nõ uideo, præsertim aduersus Germanũ & Hispanũ peditem. Nam ut ex suis legiones conscribant, nulla ratione adduci possint: neq; uero situtũ iam sit, satis in ijs fuerit præsidij, quos neq; militaris disciplina, neq; usus armorũ ullus aptos bello reddiderit. O si fortuna sua Carolus Cæsar uti sciat: sed nesciet profecto: nisi quis fortasse deus omnia ad ueteris imperij formam reuocare constituit. Verũ hoc optare licet, hisce temporibus sperare nõ licet. Nummariæ permutationis ratio spissior est & operosior, quàm ut ea per literas aut à te satis expediri, aut etiam à me percipi possit. digitũ tantum opus in ea esse putarã; ut iam uideo, non modo oculis, sed acutissima etiam mētis acie præstet is necesse est, qui æstimationes tam subtiles, aliaq; & alia subinde se facie temporũ cõditione ostentãtes animo cõplexurus sit.quare in cõgressum nostrum tota reijciatur. Habes ad priorẽ

y

episto



epistolam. Nā ex posteriore falsum id esse cognoui, quod de Iulij Medicis cæde istinc allatū fuerat: falsum id item quod de Bononiensium ad arma itione nuntiatum. Continuit eos in officio cum Heluetiorum legionis unius præsidium, tum uero illius ipsius præfecti autoritas, quem ab eius initio trucidatum audieramus. De Gallorū in hybernis petulantia, doleo equidem tum Cremonensium, tū uero etiā Gallorum ipsorum causa: sed nosti militarem insolentiam, quæ tamē ipsa hoc minus in istis ferenda est, quòd durior eorum conditio nunc est. Sed hoc ipsi uiderint. A. Roboriano Pisaurum & Umbriā puncto temporis recuperatam eā miror: idq; eo magis quòd Bentiuolis, Aestensibus, Ballionibus otium adhuc agentibus, ad rem tantam aggressus sit. Quid Veneti in tanta gerendarū rerum occasione quiescant, non sane perspicio, maxime cum receptam esse à Ballionibus Perusiam, ab Alphonso Aestensi Mutinam & Lepidiregium pro certo hic habeatur. Lautrecum uero cum optima Gallici equitatus parte & euocatorum reliquijs ad Parmā consedisse, non tam spe (opinor) illa potiūdi oppidi parte, quæ ab Hispano teneatur, quàm ne quid Mediolano suppetiarū in Aemyliam mittatur. Huc accedit quòd præter Cremonā, & eam Parmæ partē quæ Francorū præsidio firmata sit, in Gallorum fide etiam nunc est Alexandria, Placentia, Nouaria, Asti, Dertona, Halecum, Pisquionum, Treciū, & alia pleraq; transpadanæ Galliæ munitissima oppida. Habebā in animo quicquid mihi esset gemmarum annulorumq; reliquū id omne tibi mittere, ut quod ex eo confecisses, ad ueterem istam summam adijceretur. Sum enim iam audior ad rem quàm putes, speroq; ut ad x i. Cal. Febr. duplici fors nostra accessione cumulata fructuosiore aliqua negotiatione per



per te adaugeatur. Sed prius de te scire uelim, quàm sint istic pretiosæ gemmæ, & num quid ante eum diē confici cogiq; possit. Supersunt mihi etiam nunc sestertij nummi fere mille, quibus me ad annum tueri posse cōfido: ita enim rationes nostras constitui, ut ad id tempus nihil neq; uestiarij, neq; librorum, neq; adeo alimentorū nomine sumptus nobis faciundum sit. Tu de eo diligenter rescribes: nec illud, nescio cuius, interim uerebere,

Talibus à dominis post cuncta nouissimus exit

Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Eos enim distrahimus ne mendicemus, & otium nostrum commodius tucamur. Omnino facile patiar ijs me carere, quorum in secundis rebus possessio nullum afferat fructū, in aduersis alienatio magno nobis sit adiumento. Expecto tuas ad omnia, etiā ad illud, ecquid Egnatius Villanouani nostri rationibus adhuc prospexerit. Vale. Ex urbe Patuio, v i i. Cal. Ianuar. Cū epistolam hanc Natalibus scriptā, duos postea dies in manibus habuisssem, mira huc quædam allata sunt de incredibili Gallorū apparatu, atq; etiam inopinato tumultuosoq; eorum in Italiam aduentu: sed quæ tum deniq; pro cōpertis habiturus sum, si ea ipse tuis literis confirmaris. Istinc enim missa dicuntur. Veruntamen ne dubites, subieci codicillorū exemplum, quos eade re Marinus Becichemus ad me hodie dedit.

CHRIST. LONGOL. ANT.

MARCILIO S.

**N**E te nostri plane oblitum existimarem, factū est hodie Bapt. Leonis nuntio, qui me tuis uerbis ut saluaret ad me domum officiose uenit. Extremum hoc sua ne ille sponte, an uero ex tuis literis fecerit, nescio: maluissem tamen, id quod par erat, ipse mihi scripsisses ali-

y z . quid



quid, aut de ijs etiã quæ mihi pollicitus es aliqua præstiffes. Scilicet tibi uiluius, quos nec promissis, nec literis tuis iam dignos putas, neq; uero huiusce rei causam satis exputare possum, nisi nos forte quasi barbaros & calamitosos homines iam aspernaris. Feremus istud quoq; tui stomachi fastidiũ, ut ceteras tristissimo hoc nostro tempore fortunæ iniurias toleramus. uerũ scito tibi rē cū eo esse homine, qui nec amicorũ taciturnitate quicquam ducat grauius, & eorũ cessationē pertinaci ad extremũ silentio ulciscatur. Hoc quanti à te fiat, propediem facile cognoscã. Remoto ioco, peto à te mi Marcili suauissime, ut quando coram non licet, utiq; per literas me tuorum lepõrum atq; facetiarum participem interdum faciã. De Elephanto & istiusmodi hominũ genere, si quid noui habes, fac ut sciam. Id si abs te impetraro, erit mihi tam iucundũ quàm quod iucundissimum. Vale. Ex urbe Patauio, Natalibus.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**Q**uid ego te, quæ esse dicã: qui dies ipsos sedecim, crebris à me tũ nuntijs, tũ literis ad scribendũ prouocatus etiam nunc taceas? Si nihil est quod mittas, hoc ipsum saltem significa, modo ne totidẽ uerbis, quãquam nondum contrita sunt ea omnia quæ uel horũ sunt temporum, uel etiã ad me maxime pertinẽt. An hoc ais? ferri abs te Marciliũ æmulum nõ posse, ad quæ nuper literas dederim? Iam isthac tui culpa est, qui quod nobis iucũdissimum esse non ignoras, & tibi quidem factu facilimũ, id me ab illo quàm abs te sperare malueris. Ego uero iã, si tacere perges, uel ad Galceranum & ad Elephantum. Video te commoueri: rescribe igitur, ne tibi posthac uni omnium literæ meæ cõquiescant. De Villanouano nostro instabis apud Egnatium



tium nostrum. Vale. Ex urbe Patauio, v i. Id. Ianuar.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

**D**Eus Hispanos istos male perdat, homines qui cū literarū tuarum iter mihi tādīu intercluserunt, tum uero in diripiendis sociorum rebus tam sunt perfide rapaces atq; importuni. Sed ea (ut spero) aliquando recuperabis quæ amisti, uel etiam aliunde damnū resarcies. ego quidem de Lugdunensis mercati prolatione, quāquam ea res magnam exigendis nominibus nostris morā afferat, tamen tuli ut debui, hoc est, quemadmodū abs te quoq; rei familiaris iacturas ferri uelim. Mensē quidem meo incōmodo quasi intercalatum perspicio: sed in eo id mihi uideor percepisse cōmodi, quōd posthac cautius negotiabimur, neq; temere cōmissuri sumus, ut pro regis cuiusquā arbitratu uel potius libidine rationes nostræ cōturbētur, tametsi in eo tuæ præcipue sunt partes. Sed de his corā. Fr. Roboriani diligentia & uirtutē satis admirari nō queo: Alphonsi uero Aestensis otii ac formidinem potius hic omnes quidē accusant: ego autē nihil ab eo neq; timide neque temere fieri puto. Iuliū Medicē à Pompeio Columna tam male acceptum esse doleo: neq; id uero ipsum tam Iulij causa, quem quidē suam in eo ordine dignitatem facile obtenturum spero, quā Christianæ reip. gratia, quæ ne turbulenta ista comitiorum ratione labefactetur, ualde timeo. Tornacēsem arcem Francorū præsidio etiam nunc teneri nesciebā. Mediolanēses in armis esse hic iam auditum erat: sed quantum urbana multitudini in acie cōmittendū sit, nō ignoras. Quātā sint Francorū opes, magnus iste & repentinus, & alienissimo anni tēpore instructus, & in Italiā missus eorū exercitus declarat: cōsilio autem



& uirtute ecquid ualeant, gerendi belli ratio propediem  
 docebit. tametsi ne illud quidem mihi iam probatur, quòd  
 eius gentis adhuc sequatur fidem, quã esse perfidissimã o=  
 mnium, magno suo malo uel nuper didicerunt: sed plane  
 stultus sum, qui Gallos sui dissimiles nunc deniq; esse cu=  
 piam. De Adorniorũ conatibus semper abs te aliquid ex=  
 pectauit, nec tu adhuc ea de re uerbum. Villanouani nostri  
 lentum est negotium: sed quando tu aliquid de eo speras,  
 mihi nõ desperandũ arbitror. A. Marcilio nihil adhuc lite=  
 rarum: quod tibi homini qui æmulum ferre non possis, iu=  
 cundissimum esse non dubito, atq; ea re scilicet tibi signi=  
 fico. Cum hæc maxime scriberẽ, nuntiatum est Polo no=  
 stro Thomam Vulsenũ, Eboracensium illũ dico antistitẽ  
 Britannum, Pontificem Maxi. esse factũ. Id si ita est, nihil  
 profecto neq; nostra neq; patrũ, neq; adeo auorũ nostro=  
 rum memoria accidit mirabilius. Habitam esse Romæ in  
 tanta amplissimi collegij frequentia eius hominis rationẽ,  
 qui non modo & nouus, & Britannus, & absens, sed o=  
 mnino in Italia nunquam uisus esset, nec ulli penè eorum  
 à quibus creatus est, de facie notus. Tulit ille nimirũ consi=  
 liorũ suorum fructum, maximũ quidẽ illum, sed plane de=  
 bitum, utpote cuius fere unius hoc tẽpore actiones omnes  
 & cogitationes ad Christianæ reip. otium atq; pacẽ per=  
 tinuerint. Extremũ illud erit, quod fortasse primũ omnium  
 esse oportuit: Ego etsi mihi de te pollicebar omnia quæ ab  
 homine amicissimo expectari solent, tamẽ incredibilem ex  
 illa literarum tuarum particula cepi uoluptatem, in qua  
 facultates tuas omnes mihi liberalissime detulisti. Itaq; ne  
 te istius erga me uoluntatis unquam pœniteat, dabitur à  
 nobis opera, eaq; mihi crede, optima. Vale. Ex urbe Pa=  
 tauio, prid. Id. Ian. His perscriptis literis redditæ mihi  
 sunt



sunt tuæ, ex quibus non Thomam Vulsenum, sed de nostris hominibus Adrianum Florentiū Traiectensem Pont. Maximum renuntiatum esse cognoui. Ea res quàm mihi iucunda sit, & forte aliquando grata futura, tu satis per te existimare potes. Summum apud nos imperium, summum Pontificatum uideo. Quid iam nobis optandum sit plane non intelligo. Pax inquires. ne huius quidem spem adhuc abiecti, eo præsertim Pontifice, qui cum Britanno illi otij cupiditate nunquam concessit, tum etiam ingenio atq; natura est multo mitiore, tum uero omnibus pacis artibus longe instructior. Omnino nihil tam neq; præter spem, neq; ex animi mei sententia cecidit, quàm ut is Pontifex Romanus declararetur, de quo hoc toto comitiorum tempore, nihil mihi in mētem uenerat cogitare, ut qui longe gentium abesset, nec Romæ unquam fuisset. Nam de Thoma nescio quid obscure initio iactum fuerat. Nō hoc sine numine diuūm. Reliqua exquires, quā & quando in Italiam uenturus sit, an uero ad se amplissimum collegium in Hispaniam accersiturus. quod ipsum ad sedandos ultiores Hispaniæ motus Cæsari commodissimum esse intelligis. Quòd de Francorum rebus te iam desperare significas: ego uero hoc Pontifice difficiliora illis omnia fore uideo, actum de illis non uideo. Tantis opibus si mediocrem modo prudentiam adiunxerint, pares nobis erunt, præsertim accedentibus eòdem Venetis & Heluetijs, & fortasse Britannis, quos hoc accepto nuntio nunc deniq; societatem coituros cum Gallis firmissimam auguror. De Marcilio risi: sed tamen si tibi uidebitur, cubiculare istud negotium meis uerbis ei gratulabere, & ad rerum nostrarum procurationem eum adhortabere. Habes ad omnia.



CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**T**heatrum nostrum, ut ex literis tuis perspicio, non modo clausum adhuc non est, sed nunc primum frequentari atq; celebrari magis incipit, idq; maxime singulari propè uirtute & Caesariana quadam Franc. Roborari tum celeritate, tum uigilantia: qui cum nuper exul, egens, abiectus esset, euasit repete maximarum copiarum Imperator, tot populorum uictor & princeps, totius Hetruriae terror & fulmē. Omnino mira sunt, quae de eo narrantur: illud praesertim, ui captam esse Perusiam, tanto militum, tanto equitū praesidio firmatam, tam munitam, tam copiosam. Quos nam uero potissimū exules Senam reducat, haud equidem scio, nō magis hercle quàm quid in tanta gerendarum rerū occasione Veneti & Aestenses otiosi etiam nunc desideant. Nā de Bergamo hic omnes ualde timent. Vnus est Sallassorum reguli frater, qui quadringentorum Gallorum equitū praesidium illuc iam uenisse affirmet. Si ita est, res ab Hispano & à Germano tuta est. Sin aliter, uereor ne plagam Veneti accipiant, & se parum praeclearas illas inducias iuuare sero cognoscant. De Heluetiorum aduētum rumor hic iam nullus. Nā Gallos copias suas parare, armare, instruere audio: nec quid tamen sine Heluetijs aggressuri sint intelligo: nec si ij uenerint, an eis quicquam committendum sit prospicio. De Pompeio Columna & Alex. Caesarino, quos ab amplissimo collegio ad Hadrianum Pont. Maximum Legatos esse missos scribis, gratum mihi fuit cognosse. Homines sunt nobis amici, quiq; tristissimis illis meis temporibus cause nostrae propugnatores Romae extiterunt acerrimi. De isto armamentarij incendio, tuli scilicet ut debui, hoc est, molestiss



lestissime: uix enim credas quàm isti ciuitati faueam. Nam præter damnũ quod in præsentia ab eo factũ est, portendere etiam aliquid res ipsa grauius uidetur. Deus omen auertat: sed superioris belli mala haud ita dissimilẽ casum cõsecuta sunt: nuper uerò paucos ante menses quàm Galli Mediolano pellerentur, arcis turris quædam munitissima de coelo tacta conflagrauit. Sed redeamus domum, tametsi ne hic quidẽ est quod magnopere scribã, nisi me opinione mea celerius ad nummos esse peruenturũ. Quas enim ego in Cal. Mar. regis edicto collatas arbitrabar solutiones, has tu in No. Feb. tantum sustētatas esse significas. De Pont. Maximo bene conijcis. Rationibus nostris accõmodatior alius creari potuit nemo. quãquam nec hoc ipsum cuiusmodi futurum sit plane intelligo: sed tamẽ comitorum exitus mihi optatius cadere non potuit. Valebit, puto, apud eum aliquid patris mei memoria: ualebit quòd ego ipse cum Philippo Caroli patre uixerim. Denique communis linguæ usus, patriæ uicinitas, ciuitatum nostrarum communiõ, studiorum societas spem mihi afferunt non contemnendam. Verum hoc fortuna uiderit. Ego enim eum in quo nunc sum, tandiu tenebo cursum, quoad me ingenuarum artium cognitione Romana dignum ciuitate præbuero. Quo utinam semper sint animo, & Adrianus ad tuendam Christianæ religionis pietatem, & Carolus ad conseruandam augendamque Romani imperij maiestatem. Rides? Atqui scito, neutri de his deliberatius esse, aut etiam facilius, Romanæ reipublicæ statum constituere, quàm mihi ea quæ orationis lumine adhuc indigeant studia Romanis literis illustrare & perpolire. Respondi duabus tuis epistolis. Vale. Ex urbe Patauio, x i i i i, Calend. Februa.



CHRIST. LONG. STEPHANO  
SAVLIO S.

**Q**uantum ex tuis literis uoluptatis ceperim, ex eo possis conijcere, quod nullas adhuc neque diutius auidiusq; expectatas acceperim, neque amantiùs elegantiùsq; ad me scriptas iamdiu legerim. Verum uix tantum earum mihi lectio iucunditatis afferebat, quātum interim pristinae nostrae consuetudinis refricabat desiderium, praesertim tot rebus in dies penè singulos nouis, praeter omnium spem atq; sententiam consecutis. Dij immortales, quae tempora, quos risus, quantam sermonum, coniecturarum, iocorum, amicitissimarum atq; suauissimarum inter nos concertationum facultatem amisimus. Quod ipsum hoc molestius tuli, quod nemo fere hic fuit, quicum his de rebus familiariter communicarem. Nam Polus noster est quidem ille ingeniosus, & mehercule doctus & elegantissimi iudicij adolescens, sed qui neq; istiusmodi disputationibus ac nuncijs magnopere capiatur, & mira quadam etiam tum modestia, tum taciturnitate sit praeditus. Cū Leonico quidem sum septimo quoq; die his de rebus aliquid cōmentatus: sed ei magna ex parte gerendus est mos. Nosti autem quā plena & familiaris me delectet libertas. Sed hoc mihi ferendum est, qui singulari quodā in hoc sum fato, ut ab ijs semper absim longe gentium, quorum cōsuetudine delecter uel unice uel plurimum. Ac si nos aliquando tandem reuisurus es, cū absentiam tuam tolerabimus interim fortius, tum praeteriti temporis incommoda aduentu tuo facile, uti spero, sarciemus. Quod de tota uitae atq; studiorum nostrorum ratione certior à me fieri cupis: ea uerò, excepta colloctionum nostrarum suauitate, eadem fere etiam nunc est, quae tecum hic fuit. Ab hora diei quinta ad  
sextam



sex tam pila ludimus. Pransi, Flaminio Tomarotio comite  
urbis partem aliquam obimus. Sub uesperam, domum nos  
recipimus. Hora noctis altera accubimus. Cœnati otium  
pictis tabellis aut etiam scrupis ad quintam oblectamus.  
Noctis reliquum somno & quieti datur. Mensæ, si hoc  
etiam forte quæris, tuas ciborum lautitia exæquant: uini  
gratia & suauitate longe superant: quod quidem uinum  
uel usq; ab ultima Venetiæ ora magna cura accersitur. In  
cubiculo tantum laboramus: quod plane æstiuum est, &  
ijs sane ad septentriones luminibus, ut nō modo frigora,  
quibus maiora non meminimus, depellere, sed ne uentos  
quidem ulla ratione excludere possimus. Quod autem unū  
contra tantam hyemis asperitatem adhiberi potest reme-  
dium, luculento nos camino tuemur, & brumæ incōmoda  
æstatis spe lenimus. Nihil enim hoc loco æstate tota opta-  
ri possit, neq; altius, neq; amœnius. Imitare grues, inquit.  
Licuit hoc hyemis initio. Nam hyberni elegātissimi tum  
nobis facta est potestas: sed me sefellit cœli huius natura,  
quam à tam horribili diuturnoq; frigore, & ab Aquilo-  
num sæuitia remotissimam putauit. Veruntamen ualetudi-  
ne multo firmiore, quàm anno superiore sumus usi. & dei  
benignitate adhuc utimur: ter quater'ue ad summum al-  
uus nobis suppressa est autumno, & pituita negotium ex-  
hibuit: reliquis temporibus ne commotiunculam quidem  
ullam, aut etiam tentationem sensimus. Vulneri, quod ex  
morte Leonis accepi necopinatum & grauissimum, me-  
debitur, uti spero, Hadriani nostri Pontificatus. Nostrum  
enim meo nubi iure appellare uideor eum, quem nobis  
uel cōmune municipiorum nostrorum uinculum, uel lin-  
guæ usus, uel quædam etiam literarum societas coniun-  
git. Huc accedit necessitudo, quam cum patre meo con-  
stitutam

stitutam



stitutam ille quondam habuit, & quòd ipse quoque apud Philippum Caroli parentem aliquando uixerim. Omnis is unus est ex omnibus, quem Pontificem rebus meis maxime consentaneum fore arbitrer. Attamen ne me omnè in eo tuendi otij nostri spem habere existimes, audi quodnam mihi subsidium ad eam rem compararim. Coactis nummulis nostris negotiari cœpi. quo autore? Octauiano Grimoaldo. quo institore? eodem quo ille scilicet. Miraris? illud uerò magis mirabere, Casarianum me iam esse factum. Omnino dilabor in eam causam cum incredibili gentium penè omniū consensione uictus, tum etiam Francorū stultitia de pristinis meis illis sententijs deiectus. Sed tu fortasse de studiorū meorū cursu aliquid audire malles. Eum igitur ijsdem horis, & eodem adhuc in campo teneamus, in quo cū tu hic adesses, industria nostra desudabat. Quotidie cōmentamur aliquid & legimus, Thucydidis historiam ad exitū ferè perduximus: quod item tu cur nō feceris, causa abs te nulla affertur. M. T. Ciceronis Topica, Partitiones, de Inuētione rhetorica libros duos confestim: de Oratore item uolumen primum, priusquā hæ tibi uenerint, perlētū à nobis fore putamus: idq; nihilo minore quàm epistolas eius euoluimus studio atq; diligētia. Nam cum antelucanis horis uti iam didici, tum uerò nulla me fortunæ iniuria ne transuersum quidem unguem ab instituto itinere diuellere potuit. Itaque tantum & scripsi & legi, quantum uix quisquam facile credat, & ipse tu aliquando senties. Habes fere ad omnia. Nam quod rogas, quo sim erga te animo: de eo scribendum mihi uix puoto, tu quidem certe dubitare non debuisti. Sim enim mei dissimulimus, nisi te tanti faciam, quanti ab homine me more, minime que omnium ingrato, is qui bene de eo me-

ritus



ritus sit, & fieri debet & solet: addo etiam, quod an tibi probaturus sim nescio, sed ita sese res habet: Auctus est absentia tua meus in te amor: nec quo id sane modo acciderit, satis exputare possum: nisi forte qui quotidie praesentis tui assiduitate explebatur animus, quia te iam caruit diutius, eo nunc te requirat ardentius. Sic enim certe nati sumus, ut quae in oculis posita sunt bona, eorum uim non admodum animaduertamus: atque adeo plerumque sensim obrepente satietate fastidiamus: quae uero longius absunt, ea uehementer & anxie expectamus, quorum mihi certe posterius usu nunc uenisse sentio: atque eò magis, quòd iam ne te mihi in perpertuum carendum sit, timere incipio. Nam neque tu de aduentu tuo quicquam scribis, & ipse Italiam eo uideo ardere bellorum incendio, quod multis annis restinctum iri non puto. Vale.  
Ex urbe Patauio, XIII. Calend. Februa.

CHRIST. LONG. ANTONIO  
FLAMINIO S.

CVm mihi à Steph. Saulio literae sine tuis essent redditae, sanequam commotus sum: sed tum multo mehercule magis cõturbatus, cum in extremis illis, quae tibi non scribendi causa fuisset, legissem: effecit tamen officium tuum quo te mihi per eius literas excusatum esse uoluisti, ut dolori, quem ex ista tua ualetudine traxeram, non nihil uoluptatis aspergeretur, praesertim cum nec periculum grauius ullum denunciaret, & ipsum anni tempus saluberrimum spem mihi non mediocrem ostenderet. Itaque mihi officium tuum scito fuisse gratissimum: sed ita, ut neque salute tua quicquam mihi possit esse antiquius, nec modo literas te iam ullas non flagitem, sed ut de isto tuo potius in bonas artes studio aliquid remittas etiam atque etiam rogem. Noui naturae



naturæ tuæ infirmitatem: noui incredibilem tuam in omni percipienda humanitatis uisiduitatem. Quare si mihi quicquã credis, homini quem tute scistibi esse amicissimũ, & in alienis quidẽ dijudicandis causis minime stultum, da aliquid corpori, serui ualeitudini: satis tibi sit, earum quas quærimus rerum nosse fontes & capita: rationem earum & uias ingenio tuo autore et cogitatione haud ita multa, modico certe studio consequere, præsertim qui puer in leuioribus illis artium studijs operam optime posueris, & nunc in grauioribus extrema ista tua adolescẽtia iam tantum profeceris. infinitam istam diligentiam, & immensam lectionem nobis relique: qui quominus natura atq; ingenio ualeamus, & in rectam disciplinæ uiam tardius ingressi sumus, eò cum nos appropere opus est magis, tum uerò cui gilare in studio diligẽtius, & labores omnes sufferre possumus facilius. Volo enim mi Flamini charissime, ut cũ homines, ingeniu, industriã, doctrinã tuã admirabuntur: laudent etiã prudentiã, qua te bene usum esse omneis iudicabunt, si otio pariter & ualeitudini tuæ consulueris. Non temere hoc scribo, & ad quem scribam, uideo. Cura igitur primum ut ualeas: hoc enim nihil mihi facere potes gratius. deinde ut de tuo ad nos reditu aliquãdo cogites: et Saulium nostrũ eòdem uoces. postremo ut Do. Saulius, siquãdo te uiset, & Hector noster, quem tibi semper asidere non dubito, plurimam hic sibi à me salutem ascriptã esse intelligãt. Sed tibi plus omnino oneris impono, quam per ualeitudinem tuam mihi liceat. Itaque reliqua abijce, unius tuæ salutis rationem habe. De rerum nostrarũ statu siquid scire uoles, Saulium nostrũ percunctator, ad quem uberes de eo literas misi. Etiam atque etiam mi Flamini uale. Ex urbe Patauiõ, xiiii. Calend. Febr.

Christ



CHRIST. LONG. BAPTISTAE  
EGNATIO S.

Simonem Villanouanum quanti faciam, quātunq; eius  
S causa laborem, te iam tum, cum eum tibi praesens com-  
mendarem perspexisse arbitror: quid autem tu de eo mihi  
humanissime receperis, meminisse te non dubito: id quod  
etiam ex Grimoaldi nostri literis cognoui, qui de ea re ti-  
bi cura esse mihi saepe significauit. Tamē quia lentius ad-  
huc negotiū processit, quā initio speraueramus, quodq;  
ea est Villanouani ipsius fortuna, ut nisi abs te rationibus  
eius maturē consulatur, sit ei in Galliam remigrandum, et  
hac uestra omnium bonarum artium altrice atq; parente  
Italia carendum: peto abs te. Hic uerō mihi uerba desunt,  
quibus eum tibi cōmendem: quicquid enim uel à me dici  
potest, id tum dixi, cum hac de re tecū corā agerem, uel  
adhuc fieri abs te & tentari potuit, id etiam factum esse  
certo scio: sed gerēdus est adolescenti mos, qui renouatam  
meā per literas cōmendationem plurimum apud te ponde-  
ris habituram esse sibi persuasit. A te igitur peto, ut pro  
singulari tua erga studiosos omneis beneuolentia & libe-  
ralitate, hominē summo ingenio, incredibili studio, iudicio  
elegantissimo, doctrina uerō tanta, quantam penē extremū  
adolescentiæ anni capiant, ornatū in Italia per te reten-  
tum uelis. Scio quā tu unus omnium ad eā rem cōficien-  
dam sis aptus: quantum gratia & autoritate istic ualeas  
uideo: neq; uerō quantum mea causa uelis Villanouanus  
ipse dubitat, ut si iam expectatione sua frustretur, non te  
mihi, sed me sibi defuisse iudicaturus sit. Quare uelim mē  
Egnati, rem arbitrere meam: & quicquid in eum studiū,  
officiū, operæ, diligentiae contuleris, in me collatum esse  
putes. Magno tibi aliquando erit ornamento, summæ spei  
adolescen



adoleſcentem ope tua ad ſummam laudem perueniſſe. Magnæ in præſentia uoluptati, eius uel eximia probitas uel ſuauiſſima conſuetudo. Mihi quidem certe ipſi, cui plurimum cupis, gratiſſimum feceris. Illud uerò haud ſcio an addendum ſit, adijciam tamen, Non minus tibi ab eo debitum iri gratiæ, apud quemcunq; Villanouanum collocaris: quàm ipſe tibi Villanouanus eſt habiturus: qui cum cæteris animi uirtutibus ſit in primis ornatus, tum uerò minime omnium eſt immemor atq; ingratus. Vale. Ex urbe Patauio, x. Calend. Febr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**E**T ſi quod tibi mitterem non habebam: ſcis enim me ex tuis fere literis ſcribendi argumenta ſolitum eſſe ducere, nec te poſteriori meæ epiſtolæ adhuc reſpondiſſe: tamē cū Villanouani noſtri rogatu, ad Baptiſtam Egnatium ſcripſiſſem, non potui nihil ad te dare literarum: quibus cum tuas elicerem, tum uerò mihi gratiſſimum fore intelligeres, ſi cum ipſe tu Egnatio ſuas reddidiſſes, cōmendationem meam oratione tua ſubſequerere: hoc eſt, ſi cōmunem amicum ad id quod iam pridem, etiam te auctore ſuſcepit, cōficiendum negotium excitares. Non dici poteſt quàm de Villanouano laborem: nec eo tam amicitia noſtra, quæ quidē ſumma eſt, adductus moueor, quàm humanitate & natura mea, qui tam præclarū ingenij lumen tam miſere extingui doleam. Ocium illi ad aliquot annos eſt opus, non quo uel cum Budæis, uel cum Eraſmis noſtris, quos iam elegantia dicendi & ſubtilitate uicit, ſed cū ueteribus illis aliquando cōtendat. Ocij porrò in Italia hoc tēpore ſpes ei nuſquā niſi iſtic oſtenditur: nec iſtic omnino ulla, ſine Egnatij noſtri opera atq; diligentia. Sic  
igitur



igitur facies: literas meas Egnatio cum dederis, hominem ad id quod uolumus diligenter cohortabere: & ad nos aliquid etiam ipse scribes, siue quid noui habes de Regū nostrorum insania, siue quemadmodum te ad hæc munieris, frigora, quibus sane maiora non meminimus neq; niuium diuturnitate & frequentia, neq; uentorum assiduitate & seuitia. Vale. Egnatius cū de Villanouano cum ipso agerē, uolebat adolescentē apud se esse, dū quid offerretur in quo spes esset. Liberalitate eius tum nō sumus usi, quōd nihil necesse esset. Nūc conditionē libēter cōplecteremur. Res enim urget. Quare quid in eo etiā nunc habeat animi Egnatius, uidebis, & me quamprimū certiores facies: et enim celeritate opus est. Ex urbe Patauio, x. Cal. Febr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**Q**uæ mihi ad te scribendi causa nuper fuit, eadē certe nunc est. Cupio tuas elicere, sed multo me hercule magis ut de Villanouano cum Egnatio abs te conficiatur. Plus oneris sustineo quā tute putes. Viuit is enim sumptu meo: & quā paratus ipse sim à pecunia, uides. Verūtāme à nobis aletur quoad uel poterimus, uel à uobis ei consultum fuerit. Quare in eam curā incumbe, & rem tuam agi putato, ne mihi quoq; cū ipso Villanouano ad te propediem confugiendū sit. Iocari me putas? Percam, si quicquam unquam molestius tuli: neq; uero id ipsum tam mea, quā omniū studiosorū causa. Tantam talis adolescētis indolem nō modo nullis ornari aut certe inuitari præmijs, sed ipso etiā quotidiano uictu carere? Si minus familiaris mihi fuisset & notus, leuius forte casum eius ferrem. Nunc quo me tandē animo esse censes, qui cū illius ingenij uim atq; ornamenta plane cognita habeam, ei tamen  
 2 opitulari



opitulari diutius non queam? & qua tandem in re? Nū ut honores aliquos adipiscatur? num ut sericatus spectetur? num ut lautus & beatus obambulet? debetur hæc quidem tantæ uirtuti, modestiæ, ingenio, iudicio, studio. sed hoc nõ agitur. Illud, me miserum, ne nobis inspectatibus turpiter mendicet, agitur. Esset in his locis Stephanus Saulius, non laboraremus. Sed indignatione debilitor & dolore. Proinde quo loco res eius sit, tu fac statim scribas. Vale. Ex urbe Patauiio, VIII. Calend. Febr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**N**Arro tibi: cessationem tuã amplius ferre nõ possum, neq; uero causam eius ullam reperire, nisi hoc ipsum fortasse ais, rescriptum esse mihi à te. Si ita est, uide quibus tuas literas dederis. Ego enim iam dies fere quindecim ne schedulam quidem abs te. Sin eò taces, quòd de Villanoua no ex animi nostri sententia conficere non queas: at hoc ipsum scribito. Inibitur forte noua à nobis tuendi iuuenis ratio. Sed tamẽ siquid adhuc speras, urge quæso Egnatiũ, de quo nihildũ spem abieci. Noui hominis humanitatem, & in studiosos omncis liberalitatem. Omnino tanta sunt hac de re in sollicitudine, ut quiduis potius quàm literarũ tuarum silentium uidear perlaturus. De repub. Audio nescio quid de Mantua à Gallis prodicione tentata: quod ipsum nihil esse reor: item de Alexandria ab Hispano capta: quod non difficulter credo. Nam Cortonem & Sancti spiritus fanum, duo copiosa & munita Florentinorum oppida, à Franc. Roboriano direpta esse iam diu huc est allatũ. Quòd autem nihil neq; à Germania, neq; à Gallia, neq; de Pont. Maximo, neq; adeo de Heluetijs, quos Gal-  
lis subsidio aduentare nuper audiebamus: Alpes in causa esse



esse arbitror, quas hac hyemis asperitate clausas esse simile mihi uero uidetur. Vale. Ex urbe Patauio, v. Calend. Februar.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**D**E tuo isto silentio, quid tibi statuendum censeas, tute uideris: me quidem certe ipse hominem non putarem, si tam crebris quam ego tecum egi literis, ad scribendum abs te inuitatus, & etiamdum tacerem. Nam meas tibi non esse redditas epistolas, mihi persuadere qui possum? qui sciam neque me cuiquam earum ullam dedisse, cui tu propè notus non esses, & ipsorum etiam tabellariorum in perferendis literis commoda fructusque omneis consistere. At enim fortasse nihil epistola dignum tibi occurrit, quasi uero de re uel mea uel publica, uel Villanouani, uel etiam de ipso Egnatio oratio tibi deesse possit, præsertim homini tam disertò & aliàs semper ad scribendum impigro. Verum non audeo te accusare, qui si humanitati atque prudentiæ diffidam tuæ, sim mei dissimilimus. Angor tantum animo & queror, nec de quo sane conquerar, satis exploratum habeo. Facit tuus erga me amor & acre istud tuum omni in re iudiciū, ut nihil abs te neque temere neque iniuria fieri putem. Rursus tam insolens & diuturna taciturnitas in tanta maxime scribendi materia animum meum uehementer sollicitum habet, ne quid grauius acciderit uel tibi, ita ut scribere non queas, uel rebus meis, sic ut non audeas. Tu si, quod minus uelim, ualetudine impeditus cessas: delega (quæso) eum laborem tuorum alicui, qui me de omni statu tuo faciat quamprimū certiorē. Sin forte rationū nostrarū conturbatione aliqua comotus, taces, nihil est quod uereare. Scis enim quo nā apud me sint ista fortuna bona loco,

z z

quid



quid ego aduersus omnes fortunæ iniurias iam pridem habeam animi, Sed me iam uerba deficiunt. fac igitur, si me amas, ut aliquid perendie uel à te uel de te accipiam, ne cum me literarum tuarum fructu diu priuaris, earum quoque expectatione diutius torqueas atque excrucies. Vale. Ex urbe Patauio, III. Calend. Februar.

CHRIST, LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**A**D eum quem ex tam longo literarum tuarum silentio percepi dolorem, accedet etiam mittendi ad te pueri mei impensa. quid enim aliud capiam consilij, si nec ego aliter de te quicquam possum cognoscere, et tu sex continuis à me prouocatus epistolis mihi scribere etiam nunc grauare? Atque utinam is ea de te referat, quæ à nobis libenter uel legi uel audiri possint. Iam enim tibi scribendi onus imponere nullum audeo. Satis abs te habebo, si me per hunc internuntium hac sollicitudine liberaris. Omnino magnum quiddam sit necesse est, quod te hominem tam officiosum, mihi tam amicum, tam diu tacere cogat. quod ipsum quoniam cuiusmodi sit, coniectura nulla assequi possum, si literis consignare id noles, puero meo recte commiseris. Atque ne quibus de rebus certior fieri cupiam ignores, præter taciturnitatis tuæ causam, scire uelim primum numquid apud te sit ut uolumus. Deinde, quot nam ex XIII. die Cal. Feb. meas acceperis epistolas. Tum ecquid Egnatio nostro suas reddideris, et de Villanouano confecerit. Tu uero, an descriptum Stephano Saulio fasciculum Genuam miseris. Postremo de rationibus nostris si quid addideris, gratissimum mihi feceris. Nam de rep. quid ego te rogem, qui hæc quæ mihi coniunctissima sunt, tam leuiter hic attingam? Vale. et mihi puerum meum statim remittito. Ex urbe Patauio



Patauio, Cal. Februar. Per scriptis his non sine magna animi mei molestia literis: ecce tuæ, breues illæ omnino, et exiguam de Villanouani negotio spem afferentes, sed quæ me tamen ab eo qui me debilitarat, ualeitudinis tuæ metu liberarunt. Itaq; pueri istuc mittēdi causa iam nulla est. Nā cum tu ualeas nec maiore ullo impeditus sis negotio, his lectis ad omnia (uti spero) respondebis. Sed quòd ais nihil in Villanouano præter ætatis maturitatem desiderari: ea uero corroborata est, atq; mea quidem sententia eiusmodi, quæ hoc in genere maxime optanda sit. Annos natus est sex supra uiginti: idq; meis ad Egnatiū literis tum significauit, cum eum dixi ea esse eruditione, cuius penè extremi adolescentiæ anni capaces essent. Quare si hoc unū adhuc obfuit, facile est conficiendæ illi conditionis ratio: sed celeritate opus est, ut antè ad te scripsi. Sumptus enim tandiu sustinere nō possum, neq; rursus eum ab omni alia humana ope desertum dimittere. Literas tuas sic expecto, ut nihil auidius. De flagitiosa Gallorum in seruanda Alexandria negligentia, uel ut tu scribis, uinolentia, aliàs uidebimus. Nunc enim præ cura libere iocari non queo. Illud tantū miror, sex modo amissis militibus incolume præsidium omne dilapsum esse. Ad reliquas Franc. Roboriorum uictorias Senam accessisse gaudeo, & de Florentia ualde timeo.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**C**VM hodie literas tuas, quas mihi prid. Cal. Febr. misisti, de integro legēdas in manus sumpsissem, animaduerti in earum extremo esse caput quod ad rationes nostras spectaret, nec à me tū lectum esset, aut satis animaduersum, cum ad eas rescriberem. Perturbato scilicet eas

z 3 percur



percurreram animo: quod ipsum ex meis facile cognoscere potuisti. Vberior igitur fuit negotiatio nostra quam putaram: idque omne et diligentiae, et tuae erga me benevolentiae acceptum refero. Quod autem ascribis, ut si pecuniā ab argentarijs exigi uelim, istuc ueniam: sin minus, quid tibi faciendum sit, per literas demonstrum. Ego uero, etsi cum nemine omnium libentius sum quam tecum, tamen ne si exigenda quidem ea sit, causam cur mihi istuc ueniendum sit non perspicio, praesertim cum tibi scripta sit, non mihi. De reliquo nihil est quod ad me referas: quocumque rationes nostrae uocabunt, sequere: neque tibi auctoritatem meam expectandam putato. Ego enim cum istiusmodi rerum sum plane rudis, tum uero me in sinum atque fidem tuam totum contuli: quem neque facile discingi, et in omni genere prudentissimum esse semper iudicavi. Itaque exigenda illa ne sit, an transcribenda, an ad aliud negotiationis genus transferenda, an permutanda, quamquam deliberationis est, tui tamen est consilij: quicquid angustiae nostrae postulent non ignoras, et in quo spes sit ulla exploratum habes. Equidem, quod ad me pertinet, quicquid feceris, id prudenter abs te et fideliter factum esse iudicabo, atque adeo ratum habebō. Ac quia multus in eo es, ut quid te facere uelim omnino scribam, geretur tibi mos, sed uniuerse, nec enim aliter possum. Ducetos istos quinquaginta denarios ad superiorem summam adijcito, totamque pecuniam ita tractato ut tuam, sed hoc diligentius et cautius, quod in paucis istis numulis mihi sunt omnia. Non sit otiosa, nec in eo item uersetur negotio, quod sit hominum uel fraudibus uel calamitatibus opportunum. Hoc si praestiteris, et otio nostro optime consulueris, et me hominem memorem gratumque aliquando experiere. Vale mi Grimoalde suauissime, et si quid est.

de Vil



de Villanouano ab Egnatio confectum, facies me quā pri-  
mum certiorē. Nō dici potest quā me hoc onus premat  
& grauiter urgeat. Ex urbe Patauio, pridie Non. Febr.

CHRIST. LONGOL. BAPT.

EGNATIO S.

**S**Cripfi ad te nuper de Simone Villanouano quā po-  
tui diligentissime, non quo memoriæ tuæ cōstantiæ ue  
diffiderem (sciebam enim quā tu grauitati tuæ seruires,  
& in amicorum præsertim rebus minime esses obliuiosus)  
sed id tū Villanouano ipsi à me dabatur, qui ut se tibi per  
litteras quoq; accuratissime commendarem, mecum egerat.  
Quòd autem nunc in eandem rationē de integro tibi scri-  
bo, id scilicet mea sponte facio, qui cum te currentem inci-  
tare cupio, tum uero quibus ille in malis iaceat uideo, &  
tantum ex eo dolorem, quantū animo capere uix possum,  
traho. Agitur mi Egnati non de honore eius aut dignita-  
te: quod quidem optandum nobis esset: sed me pudet scri-  
bere, ne summæ spei, summæ uirtutis adolescens in ipsa  
florentissima Italiæ parte fame pereat. Huic tu literarum  
ac literatorum omnium ignominia & turpitudini, quan-  
do unus hoc tēpore mederi potes, aut nemo certe istic po-  
test, nō iam abs te peto, quod prioribus feci literis, sed per  
singularem illam tuā erga studiosos omneis omnibus per-  
spectam, & à me semper prædicatam liberalitatem tuam  
te obsecro, ut homini solo uirtutis studio & fortunæ iniu-  
ria calamitoso, quibuscunque rebus potes consulas atque  
prospicias. Ego, quod ad me pertinet, amplius quā feci  
facere non queo. Tuæ sunt iam partes, ut quem officijs  
tuis multis es complexus, aliquo etiam beneficio tuo be-  
nigne cumulatum uelis. Non equidem audeo quicquam  
tibi istiusmodi oneris imponere: sed quia tamen dignam

z 4 ista



ista tui animi benignitate mihi uideris esse consecutus fortunam, sine hoc à te petam, quod quidem te libenter facturum esse mihi coràm ostendisti. Quid hoc ipsum? inquires. Tantisper tecum sit, dū apud aliquem eum collocas. Hoc si à te impetramus, faciam profecto ut apud memores & gratos homines beneficium à te positum esse cognoscas. Vale. Ex urbe Patauio, v. Id. Febr.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

**E**T si nihil erat omnino quod scriberem, non potui tamē Flaminio nostro istuc proficiscenti nō uel inaneis ad te dare literas potius quàm nullas. Sane enim in rebus meis nihil est noui. Versamur adhuc in his, ad quæ tu me unus omnium semper es cohortatus, literarum studijs. De te uero, etsi minus quàm cupimus, audimus tamē quæ uolumus: Tam leuem iam accedere quartanam, ut utrum tentatiuncula sit ea, an febricula, uix ipse tu sentias atq; diiudices. Hoc ipsum mihi quàm gratum sit, etiam tacente me, satis, puto, intelligis. Equidem (quod unū absens & possum & debeo) pro salute tua uota facio, & ut te plane confirmatum hic primo quoq; tēpore uideam, etiam atq; etiam exopto. Flaminium ipsum à me hic tibi commendandum esse non arbitror. Est enim iampridem in ære tuo, ut quem tute mihi ipse accurate commendaris: testimonium modo mei de studio eius atque industria iudicij, ei dabitur. Scito ex omni nobilitate Romana multis iam seculis existisse neminem, qui ad summa ingenij atque iudicij ornamenta tantum adiunxerit diligentiae, & in omni liberalis doctrinae studio assiduitatis. Non enim politiorē modo humanitatem & communes literas attigit: sed etiam se utraq; lingua in recta dicēdi differendiq; ratione ita exercuit, ut non credibile sit neq; quàm longe iam processcrit, neq;



neq; quò paucis annis tam pleno gradu peruenturus sit. Pertexet enim, scio, quod exorsus est, nisi aliqua forte tēporū iniuria ab instituto cursu aliò rapiatur. Sed de Flaminio nimis multa, præsertim ad te, qui cū de adolescētis indole summa semper sperasti, tum uerò fortasse libenter adhuc legere nō potes. Valebis igitur, & à Polo nostro saluebis. Ex urbe Patauio, v. i. Id. Febr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**F**laminus noster eo tempore, num quid ad te uellem, mihi denunciauit, cum quid à te expectarē magis haberem, quàm quid ipse mitterem. Scis enim te nihil dum ad posteriores meas duas respondisse. Mihi quidem certe nihil abs te adhuc est redditum, tametsi multarum à me habes epistolarum argumenta. Verumtamen nihil urgeo, atque etiam occupationibus tuis fauco. Iam enim sentio quàm tibi superiorum mearum in tuis flagitādis literarū crebritas molesta fuerit. Scripsi hodie ad Bembū & Egnatium: huic, ut Villanouani causam aliquanto acrius susciperet: illi, ne me negligētiae damnaret, si se Flaminus istò & ad eum sine literis meis contulisset. Exitus hyemis cū initijs consentiunt. Maximis & assiduis aucta flumina hymbribus agros totos inundarunt. De Heluetiorum aduentu nonnullus hic est odor, itemq; de Franc. Roboriani & Iulij Medicis cōiunctione. Omnino sunt qui rem inter eos conuenturam suspicentur. Ego nihil esse reor: sed tamen si fiet, aut ille ad Gallum, aut hic ad Germanū transeat necesse est. De Francis mirū hic silentium: quanquam non desunt qui treis Hispanas cohortes stipendij inopia coactas à Cæsare ad Venetos defecisse affirmant. Sed hoc tu melius ac potius optime omnium. De studiorum nostro

Σ 5 rum



rum ratione si quid scire uoles, Flaminium ipsum percun-  
tator. Vale. Ex urbe Patauio, VI. Id. Febr.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**O** iucundas & gratas literas, quas mihi à te Flaminius  
noster attulit. Sane non dici potest quàm me earum  
sermo delectarit, atque illud in primis, quod de rationum  
nostrarum procuratione scripsisti. E quidem etsi difficile  
factu esse uideo id quod polliceris, tamè tum ingenio, tum  
industria, tum usu, tum uerò etiam singulari tuo erga me  
amore fretus, sperandum id mihi censeo. Tu contrà uelim  
ea à me expectes omnia, quaecūq; ab hac studiosa uitæ no-  
stræ atq; cōsuetudinis parte proficisci possunt. Etenim si  
hoc tu præstiteris, mihi Leonis liberalitas nō magnopere  
desideranda ut fuerit, ad quem nā potius omnē studiorum  
meorū fructū detulero, quàm ad te: cuius unius opera, fide,  
diligentia, ocium meū honeste copioseq; tueri potuerim?  
Sic itaq; tibi uelim persuadeas: me, si quid posthac legēdo,  
audiendo, cōmentando, scribendo assecutus fuero, daturū  
operam, ut amicitia nostra haud paulò sit illustrior ea fa-  
miliaritate, quæ Nicolao Grimoaldo Cebæ auo tuo cum  
Francisco Philelpho uiro doctissimo, intercessit. Non au-  
derem hoc tibi tanta polliceri fiducia, nisi & eodem apud  
te esse loco bonas artes uiderem, quo apud auum tuum  
extiterunt: & quam opinionem de studiorum nostro-  
rum exitu conceperis, ex literis tuis perspicerē: quanquā  
maior hæc omnino iam est, quàm ut ei à me satisfieri pos-  
sit. E quidē mihi iam nauasse operā uideor nonnullā, quod  
unum ex omnibus M. T. Ciceronem dicendi magistrum  
mihi delegerim: sed nondū me tantum profecisse sentio, ut  
eo tibi nomine ipse gratulari debeas, atq; te his temporibus nā



bus natum gaudere. quod quidem uel ex eo comprobari potest, quod te, qui tanti eloquentiam nostram facias, crebris meis literis ad paulò uel diligētius uel sēpius scribendum nihildum potui perducere, nullo id sane impetraturus negotio, si, ut ais, illū cōsectando, uim eius effingerem atq; exprimerem. Remoto ioco mi Grimoalde suauissime, quantū in eo imitando adhuc profecerim, me quidem non poenitet: sed tamen tantū abest ut me illi parē unquam fore sperem, ut mecū præclare actum iudicaturus sim, tenuē modo aliquā diuinæ illius eloquentiæ similitudinē adumbraro. Id enim scilicet nunc molior, & scribendo persequor. Sed hac de re nimis multa. Tantū uelim existimes, si studiorum nostrum rationi fructus responderint, perfecturū me, ut nō modo hæc hominū ætas, sed etiam tota forte posteritas, q̄ bene apud me studiū, operā, officia tua collocaris, intelligat atq; cognoscat. Sed redeo ad spectacula nostra, luctuosa quidē illa, sed quæso hoc tempore essent plane nulla, nisi citerior Gallia quotidiano Hispanorū latrocinio infestaretur. Nam transalpinis gentibus ocium, anni tempus attulit. Certe illinc ne leuis rumor quidē. Tu de Adriano nostro nihil. Atqui Barcinone de Pontificatu suo nunciū accepisse fertur, et Gregorij nomē secutus: illo uidelicet ipso nobis indicans nomē, quanta uigilantia in hoc obeūdo munere sit usus. Ac profecto summa ea sit oportet atq; mirifica, si modo, uti spero & opto, is ipse est, qui superiorum Pontificum partim ignauia, partim scelere labefactatam Christianæ pietatis religionem instauraturus est & confirmaturus. Deum quæso Optimum Maximum consilia eius reipub. Christianæ salutaria sint, neq; ocio nostro parum accommodata. Vale.

Ex urbe Pataui, x v i. Calend. Mart.

Christ



CHRI. LON. ANT. MARCILIO S.

**T**entari abs te patientiam meam arbitror, qui nec nū-  
 cius, nec literis, nec precibus deniq; commotus meis  
 etiam nunc taceas. Quid enim, contemptū me putem? Nō  
 tam (opinor) superbus tu es, nec ego certe contemnendus.  
 At uide quā tu humanitati tuæ cōstes, qui hominem tibi  
 tam amicū, tam familiarē literarū tuarum iucunditate tam  
 diu priues, præsertim ab eo ad scribendum lacepsitus. Ego  
 enim mehercule cum omnibus in rebus, quos nobis ipsi  
 præstare possumus, uinci turpe duco: tum uerò officijs &  
 amoris eorū à quibus prouocere, non respondere, turpissi-  
 mum. Sed ut initio dixi, tentari abs te patientiā meam ar-  
 bitror. Quare obdurabitur adhuc hic mensis. Sin autē ut  
 es, etiā tum cessabis, nō te equidē scriptorū meorū deside-  
 rio excruciare tentabo (uideo enim quā tu id facile sis la-  
 turus) sed tū lōgissimis epistolarū uoluminibus obtundā,  
 tū uerò quotidiano sumptu in tabellarios faciēdo obruā.  
 Sin id quoq; abs te contēni intellexero, cōcitabo in te lu-  
 cas istas boues, de quibus tu nihil adhuc ad me: credo, q̄  
 eas indignas existimes, de quibus tu uerbū facias. Verūta-  
 men uide utrū malis (utrūq; enim uitare nō potes) quo-  
 tidiano ne istarū belluarū barritu uexari, an de carū inge-  
 nio mihi aliqd perscribere. Equidē posterius hoc malim,  
 tū quia te saluū cupio, tū quòd etiam incredibili quodam  
 lepōrum atq; facietiarū tuarum studio teneor, uel potius  
 ardeo. Quo quidem in genere cum tu longe alijs excellas  
 omnibus quos uel naturæ hilaritate, uel omnis liberalis  
 doctrinæ humanitate uenustos & urbanos nouimus: fac,  
 amabo te, ut saltem per literas, quando coram non possu-  
 mus, inter nos festiue doctē que interdum rideamus. Vi-  
 des ne quantā iocandi materiā ipse tibi iam præbuerim,  
 qui me



qui me quoq; non insulsum esse tibi significarim? Sed uel me tuo arbitratu ludas licet, modo salsam aliquam & lepidam epistolam mittas. Quiduis enim potius quàm cessionem tuam ferre possum. Vale. Patauij, XII. Cal. Mar.

CHRIST. LONG. BAPTISTAE

EGNATIO S.

**V**ereor ne tu me pudoris mei parum memorem esse iudices, qui rogandi finem faciam nullum, praesertim cum nihil abs te loci precibus nostris relictum esse ex Grimoaldi nostri literis potuerim intelligere: sed ea est Villanouani nostri tum uirtus, tum quae me dies noctesq; excruciat, egestas, ut mihi hoc in officio cessator esse uidear, qui me tibi molestum in scribendo esse iam non dubitem. Audio rationibus eius duo plurimum adhuc offuisse, aetatem & nationem. Atqui ea hominis aetas est, quae mea quidem sententia, sit huic muneri maxime idonea. Sextum enim supra uigesimum agit annum: ea iam prudentia atque moderatione praeditus, ut hisce uirtutibus senectus ipsa non magnum pondus allatura uideatur. De altero, non me quidem fugit quàm male Galli in Italia audiant: sed ego tibi Villanouanum praestabo, cum ab omnibus Gallicis uitijs ineptijsq; liberum, tum plane Italica & grauitate & lingua, & (quod maxime ad rem pertinet) pronũciatione in primis ornatum. Nam quibus potissimum gens illa uirtutibus commendatur, fide, probitate, religione, has quidem nemo in eo desiderarit, non sane magis quàm ingenium, iudicium, studium, literas, excellentem denique in iure ciuili prudentiam, atque memoriam. Sex enim ipsos annos sub optimis praceptoribus Ticini in eo studio euigilauit: atque ita profecit, ut aequales suos omnes longe uicerit. Quare à te quaeso, ut  
siquis



si quis ad eā uoluntatem & diligentia, quam in eo iuuan-  
do adhuc adhibuisti, cumulus accedere potest, is hac mea  
commendatione accedat. Sin nihil addi potest, ne sedulita-  
tem meam aut impudentia, aut ambitionis cōdemnes. Nō  
enim liberalitati aut constantia diffusus tuæ, sed tum ijs in  
quibus Villanouanus iacet miserijs, tum mea etiam huma-  
nitate commotus, eadem de re tecum ago et sæpius & ac-  
curatius. Vale. Patauij, XII. Calend. Mart.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**N** Vllum fere nunc haberem ad te scribendi argumen-  
tum, nisi nescio quid literarū Egnatio & Marcilio  
exarassent. Marcilio? inquis. & isti quidem uelim episto-  
lam suam ipsemet reddas, sed prius à te lectam, ut cum  
uideris quanti is à me fiat, pœnas mihi des taciturnitatis  
tuæ, qui literarum tuarū silentio commisisti, ut ad illum  
nulla sententia scriberem, quem tu nomine omnium emu-  
lum feras. Tacet ipse quoq; etiam nunc, sed non hoc diu  
impune tulerit. Ad Egnatium porrò scribendi hæc mihi  
causa fuit, quòd nec eius etiam literas adhuc potuerim eli-  
cere, nec Villanouano ullo tempore aut loco deesse uelim:  
cui quidem tamen ne iam desint omnia, ualde metuo. Istic  
enim à uobis lentius curatur negociū, quàm res & fortu-  
na ipsius postulet. Sed hoc tu uideris: in quē, nisi mature  
proouideris, hoc quicquid est oneris, totum decidet. Admo-  
nitus es à me non nunc primum: quare incumbetur quoq;  
si sapis, in istam curam. Egnatium nisi perfecta re aut de-  
sperata, rescripturum non puto. In citeriore Gallia audio  
Mediolanum ab Hispanis & Germanis summa ope mu-  
niri, pecunias imperari, delectum prouinciale haberi, pon-  
tes in Pado ad Placentiam fieri, omnia tumultus & tre-  
pidationis



pidationis esse plena, præsertim cum Cares Alpinos Gal-  
lis suis auxilio uenire dubium iam non sit. A Gallia &  
Germania, nulla adhuc fama, clausis scilicet etiam nunc  
Alpibus & nostro mari, quæ tamen propediem aperian-  
tur necesse est. Sed tuum est ista scribere: huc enim istinc  
manant. Illud quidem meum: esse Bononiæ Hispanum ho-  
minem quædam, qui à se omnia Pet. Alcyonij in faciendo  
Aristotele Latino errata collecta esse, ac propediem editū  
iri huc scripserit: de quo ipso, si tibi uidebitur, Alcyoniū  
nostrum facies certiolem, & simul hominem meis uerbis  
salutabis. Vale. Patauij, x i i. Calend. Mart.

CHRIST. LONG. MARIANO  
CASTELLANO S.

**A**ccepi epistolam tuā ad i x. Cal. Mart. in qua quòd  
officium desiderari abs te meū significas, est id mihi  
quidem submolestum, sed nihilominus tamen iucundū, ut  
qui nulla mea negligentia à me cessatum esse sciam, & te  
ista literarū mearū flagitatione mei memoriā adhuc tene-  
re perspiciā. Nā ne forte nescias, ego aliquāto magis, atq;  
adeo iustius à uobis aliquid expectaui, quàm uos à me. Et  
enim cū istuc perferuntur undiq; omnia, tum uerò ea quo-  
tidie Romæ & fiunt et dicuntur, quæ scilicet epistola sunt  
dignissima. Hic contrā summū otium, summū est de rep. sē-  
lentiū. Sed quādo tantopere literas requiris meas, non cō-  
mittā posthac ut in eo genere de me queri possis: tu modo  
fac ut de rebus urbanis ex te aliquid interdum cognoscā.  
Lælius enim Maximus nostri iampridem planè oblitus  
est: eques uidelicet Romanus, & idem uir fortissimus, ho-  
minis noui, & in ignaro literarum otio intabescentis. Sed  
hoc fero eadem qua Leonis mortem animi æquitate: ex  
qua etsi mihi grauisimum uulnus impositum esse sentio,  
qui me



qui me ab omni humana ope desertum hic nunc uideam, non succūbo tamen, neq; mihi, neq; institutis meis desum studijs: in quibus eò etiam elaboro diligentius, & euigilo acrius, quo mihi præclarius aliquando fore spero, me non modo nulla fortunæ iniuria de sententiâ mea deijci potuisse, sed etiâ aduersus omnes sæuissimas eius tēpestates rectū cursum tenuisse. Omnino Gallia mihi clausa est, quòd cōtra meorū omnium uoluntatē Leonis promissa secutus in Italiam redierim. In ipsa autem Italia cū Leone ipso spes mea omnis interijt. Florentia tumultuatur. Bembus longo et difficili morbo prostratus iacet. Abest Sadoletus. Abest etiam Hadrianus noster: de quo quidem multa mihi & magna polliceor: sed ut uides, longe abest gentium, nec modo de aduentu, sed omnino de salute eius nihil exploratū habemus. In Hispania esse dicitur, sed nec in utra, nec an in Italiā uenturus sit, etiam nūc scitur. Si uenerit, spe sum optima. Sin quintū Clementem sibi imitandum putauit, mihi tamen in Italia, dum studiorū meorum rationem explicaro, manere decretum est. Negotiari enim iam cœpi ex ea pecunia, quam ad hosce fortunæ casus, sepositam habebam: res que iam ita processit, ut uel ad multos annos ipse me ære meo tueri posse uidear. Neque uerò est quòd uereare, ne hoc nouo uitæ genere studia conturbentur mea. Aliena hac in re & opera & fide utimur. Aliena, inquietas, fide? prorsus aliena, sed hominis nobis amici. qd enim faciam, sic nec literis meis deesse, nec ipse mercaturæ operam dare possum, homo cum in omni negotiatione plane rudis, tum uerò otij & quietis longe cupidissimus? Adhibita est tamen ea à nobis cautio, ut nobis fraus non facile fieri possit. Sed hoc fors uiderit. De Panegyricis præstabo quod tibi sum pollicitus: & Romana, mihi crede



crede, fide præstabo, sed nondum satis maturuerunt, neque tamē à maturitate absunt longius. Res est ardua & operosa, præsertim cum id mihi sit cordi, non solum ut amicitia nostra, sed etiam ut urbe Roma non indignæ habeantur. Itaque quoties tibi minus in eo maturare uidebor, fac illius tibi in mentem ueniat,

Tantæ molis erat Romanam cōdere gentē, Flaminium ex tuis literis equidē accusare possum negligētia, quod nihil unquam ad te de me: sed eū nihilominus à me commendatum uelim habeas. Dignus est adolescēs quem omni tua humanitate liberalitateque complectare. Vsus es tu quidem aliquādo summa in, eum benignitate, sed tum, cum non tā necesse esset quā nunc est, nec ipse in tantam doctrinæ spem adhuc ingressus. Caue enim putes quicquam ei istic esse, aut iā multis etiā seculis fuisse simile, uel ingenio, uel industria, uel probitate, uel etiā grauitate. E quidem sic de eo pronūtiare soleo, ut dicā neque natura benigniore quēquam hodie uti, neque cū fortuna duriore cōflictari. Quare cū id ei cumulatiſſime adsit, quod nullius beneficio assequi possit: id autē omnino absit, quod tu ei cumulatiſſime præstare potes: ne cōmissum uelis mi Mariane, ut tantæ spei, tantæ uirtutis adolescētī, & quod cōstat propinquo tuo, tum denique defuisse uideare, cum ad summā eruditionē dignitatemque pleno gradu cōtenderet. Perueniet enim quò tēdit, & si tu paululū modo adiuueris, maiorū nostrorū gloria dignū se præbebit. Hoc ut facias, uel mea, uel ipsius adolescentis, uel etiā honoris tui causa te tam rogo quā tibi nominis Romani dignitatē curæ & esse & semper fuisse certo scio. Ornithiam delicias tuas meis uerbis dissuauiare, matrique eius Iulie & materteræ Ludouicæ salutem referes plurimam, Bernardinæ uero tuæ etiam me diligenter



excusabis. Questa est mecum grauius de literarum mearum silentio: sed satius puto, fuerit ei rescribere, ne me superbiæ quoque condemnet, qui per te excusari maluerim, quàm literis eius respondere. Valebis igitur, & Busiucios, Torquatos, Alterios, Salomonios, ac reliquos item communes amicos à me iubebis saluere. Patauij, v 11. Calend. Mart.

CHRIST. LONG. STEP. SAULIO S.

**V**ellem eo epistolæ initio tecum agere nunc possem, quo superioribus meis ad te literis sum usus: sed facit dispar tuarum ratio, ut hæc quoque dissimile principij genus postulent. Scito igitur proximas tuas literas tantum mihi attulisse & molestiæ & doloris, quantum uel mihi dictu sit perdifficile, uel tibi, nisi meum erga te perspectum haberes amorem, creditu non facile. Ergo mihi te utroque nostrum uiuo, in perpetuum carendum erit: cuius ex sua uisissima consuetudine tantum capiebam uoluptatis, tantum in omni genere prudentiæ, fructus & utilitatis? Equidem, etsi tum ex miserrima horum temporum conditione, tum ex languidiore literarum tuarum significatione aduentui tuo subdiffidere cœperam, fruebar tamen interim quadam inanis spei usura libenter, sperabamque aliquando fore, ut expectationi nostræ reditu tuo tandem satisfaceres. Nunc etiam illud, omni præcisa spe, literæ tuæ nobis eripuerunt. Quo me igitur tandem esse censes animo? Nempe eo, quo esse debeo, orbatu tali uiro, mihi amicissimo, familiarissimo, iucundissimo. Polus quidem noster, non tam eorum commemoratione, quæ à me de ista tua & uirtute & industria per sæpe audierat, quàm literarum, quas tu mihi scripsisses, elegantia atque prudentia commotus, te unum iam sibi destinarat, quicum societatem studiorum coiret  
sanct



sanctissimam, regiae scilicet indolis, & acerrimi iudicij  
adolescens, te ex paucis epistolis tuis, quasi Leonem ex  
unguibus, totum facile aestimauit, dignumq; quem unum  
ex omnibus in omni studiorum suorum ratione comitem  
haberet & socium iudicauit. Itaq; cum hunc tristissimum  
de te nuncium à me accepisset, magnum etiam mihi uisus  
est dolorem accepisse, qui se de tanta spe, & ea quidē uni=  
ca, repente deturbatum uideret. Scis enim qualia hic sint  
uestri ordinis ingenia & quibus etiam studijs dedita. Ve=  
rum ille, quidnam sibi consilij capiendum sit, uiderit. Ego  
certe, qua una amoris memoriaeq; tui ratione potero, te=  
cum semper ero, literas partim legens aut expectans tuas,  
partim scribēs, aut mittens ad te meas. Hoc enim unū mihi  
relictum esse uideo, quo absentis tui desiderium mitigem  
atque consoler. Quòd si tu, quemadmodum ostendis, me=  
cum in scribendo certaris, cum magna me sanè leuaris mo=  
lestia, tum uero te amici hominis officio fungi non modo  
iudicabo, uerum etiam ubique praedicabo. Sed uenio ad li=  
teras tuas, quas abs te non sine cura & angore animi  
scriptas esse intelligo: nec tamen eiusce rei causam ullam  
exponis: tantum tibi consilium opus esse significas meum.  
Quod si ita est, ut tu homo prudentissimus sine me deli=  
berare non facile possis, & tanta res agitur, ut eam lite=  
ris consignare non audeas: iam uero absentiam nostram  
longe mihi grauius ferendam esse uideo, quàm initio puta=  
ram. Nā quòd ad fiduciarij illius sacerdotij, quo te à Leo=  
ne abdicare coactus es, procurationem pertinet, expectan=  
dum tibi censeo, dum uel res apud Insubres ex Gallorum  
sententia constituentur, uel Hadrianus noster uenerit, aut  
certe rem Romanam composuerit. Nec enim dubito quin  
apud eum Pötificem ius tuum obtēturus sis, quē iā multis



etatibus unum, sine uitio, sine obnūciatione, sine ulla ambitionis uel leuissima suspitione, summo amplissimi collegij consensu, sacris nostris omnibus præfectum esse antistitē, omnes & prædicant & admirantur. Ego id profecto diuinitus factum arbitror. Placet tamen interim, ut istic pontificias aliquot tabulas testere, inuitum te & metu Leonis adductum monasterij illius procurationem tum deposuisse, nunc autem constitutum tibi esse, ut primū ius dici Romæ cœperit, recuperatorio iudicio experiri. Hæc cautio etiam si minus necessaria est, opus tamen est, & ad uitandā tacitæ consensionis suspitionem hoc tempore non inutilis. Sed hæc tu spero melius, uel tua, uel istorum consultorum prudentia fretus, Vale, Patauij, v. No. Mart.

CHRIST. LONG. M. ANT. FLA=

MINIO S.

**I**gnosce, quòd qui antea solitus sum mea spōte tibi scribere accuratius, nūc disertissima abs te prouocatus epistola respondeam negligētius: perturbato enim hæc scribi mus animo. Turbarunt autē nos Saulij nostri literæ, quibus ille mihi spem reditus uestri ademit omnem. Vix credas quàm id moleste ferā, quātoq; uestri desiderio nunc ardeā, qui (fatēdum est enim) digressum à me uestrum haud ita grauitèr tuleram: nimirum maturæ uestræ confisus reuersioni, necdum satis animaduertens quantam uobiscū suauitatem à me dimitterē. Iam uero me & res & tempus docuit, quantum in eo auiscriam. Auget hunc meum dolorem, stultitiæ meæ recordatio, qui id cōsiliij proficiscētī Saulio dederim, ut istic potius quàm hic. Quod etsi ne tū quidē mihi erat iucūdum, habendā tamē maiore illius rationē putauī quàm mei. Ita cū absentia uestra, tū uero etiā magis cōsiliij mei insania torqueor. Nam istic bellū exortū est: hic in  
sum



summo uiximus ocio. Sed huic dolori meo, si minus frequētes à uobis literæ, tempus quidem certe ipsum, atq; nouarum necessitudinum cōiunctio, uti spero, medebitur. Nūc ad literas tuas: ex quibus cognoui eas quas uobis superiore mēse misi, ad 111. Cal. Feb. istuc nōdum fuisse perlatas. atqui his ea cōplexus mihi uideor omnia, quæcūq; de uitæ ac studiorum nostrorū ratione cupis intelligere, quare eas eodē exemplo uobis mittēdas putauī. Cōstitutū uero abs te ocij tui cōsiliū ita mihi probatur, ut eo tibi nomine etiā ualde gratulcr: sed bona mehercule fide, nō autem quemadmodū tu, qui mihi uere et iure optimo gratulatus, quōd ad nostros homines summum peruenisset imperij ius, summus pōtificatus, nescio quid etiā de eloquētiæ principatu adiūxisti: quem quidē in hominibus nostris nō sanē uideo, nisi tu fortasse illi τῆς μεγαλῆς ἑγκωμῆς, aut etiam Silenis Scarabeisq; nostris tantū in eo genere tribuis, ut perfecti oratoris imaginē ab amico nostro effictam atq; expressam putes. Quod si ita est, est etiā quod te uehemēter pudeat, qui eloquentiā uestram nō tam uberiore ulla uerū uerborumq; copia, quā in insigni illa Bataui oratoris stultitia uictam esse fateare. Sed nūc iocari præ stomacho nō libet. Vacuo animo scribam liberius & diligētius: itemq; de Luteriana causa, quōd degustes, fortasse tibi mittetur aliquid. Vale. Patauij, v. Non. Mart.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO

GRIMOALDO S.

**A**llatæ mihi sunt heri à Steph. Saulio literæ, ex quibus intellexi fasciculum illū, quē ad te, ut Genuā mitteretur, proxime dederā, ei ad 111. Cal. Feb. nōdū fuisse redditū, ut illū omnino aut interceptū esse, aut tabellariorum negligētia amissum suspicer. Nā perscriptores tuos

A 3

ACCH.



accusare non audeo, qui si mea causa parum uellent, imperio certe mouerentur tuo. Itaque da, si me amas, operam, ut ille etiam nunc descriptus fasciculus, ad eum omnino perferatur. Quod tu per literas tuas mutui inter nos officiorum certaminis contentionem tam auide accipis, est id mihi pergratum, perque sane iucundum. Tu modo uide, ne dum me officijs tuis uincere contendis, nimia cupiditate prolabare: hoc est, ne me fortunis spolies omnibus, quem industria tua mirifice locupletatum cupis. Scis eo consilio ista a nobis negociationem institutam esse, non quo rem augeamus, sed ut Platonis & Democriti exemplo in hac peregrinatione ocio nostro praesidium aliquod pararemus. Sit questus igitur minor potius, dum tutior et crebrior, quam cum aliquo periculo fructuosus & rarus. Mare quam sit infidum, uides. Terras hodie penè omnes partim bellorum incendijs, partim militum atrocinijs infestas esse non ignoras. Istic quam certa sit fides, nescio. Sed sus Mineruam, qui haec ad te. ac sum etiam profecto timidior quam mihi per te liceat, quare quam rationes nostrae cautionem postulent, tute uideris, qui unus omnium certe uides plurimum. Ego enim, si quidem tu, ut ostendis, istius tuae industriae fructum honore metiere, eum tibi habebis, quicumque ex studijs nostris proficisci poterit honestissimus atque uberrimus. Et quoniam de Fr. Philelpho tam multa in literis tuis: equidem cum dixi coniunctionem nostram multo clariorem fore ea causa, quae illi cum Nicol. Grimoaldo Cebe auo tuo fuisset, Philelpho me comparare tum nolui, cuius quidem eloquentiae atque doctrinae tam facile cedo, quam tu auum tuum cum literarum nostrarum studio, & totius uitae splendore iam exaequasti: tum uero exquisitiore quadam, & mea etiam sententia expeditiore negotiandi ratione longe uicisti, qui istic in  
sum



summo ocio ea & tractes & assequare: quæ ille ut confi-  
ceret; ab Italia procul ad extremam senectam uixit, non  
Græciam modo & Thraciã summis difficultatibus pera-  
grans, sed maximis etiam periculis Syriã, Armeniã, Persi-  
dem, Arabiã ac reliquas Oriëtis parteis percurrens. Cũ igi-  
tur de necessitudinis nostræ claritate illa scriberẽ, non tibi  
immortalẽ posteritatis memoriã pollicebar (hoc enim pro-  
mittere arrogatis esset hominis: atq; haud scio an etiã mul-  
to stultissimũ) sed id significare uolui, pluribus à me neces-  
situdinis nostræ uestigia monimētis impressum iri, quàm is  
aui tui nomẽ nobis commendasset. Scis enim unam tantum  
& alteram ad Cebã nostrum extare epistolam. Sed de his  
alias, nisi hæc potius ipsa nimis multa. Verũtamen me pu-  
pugit longa illa literarũ tuarũ de Fr. Philclphi, et Christ.  
Longolij eruditione disputatio. Egnatius noster quid iam  
habeat animi, nescio. Tribus à me ad rescribendũ honorifi-  
cētissime inuitatus epistolis, ne schedulam quidem adhuc,  
nec literam. Nihil, inquires, de Villanouano explicat. Ne  
tu quidem ipse: attamen scribis. E quidem malim causam ini-  
tio non suscepisset, aut etiam omnem eius cogitationem  
postea abiecisset, quàm me literarum suarum expectatio-  
ne tandiu suspendisset. Sed ei posthac molesti non eri-  
mus, ne in scribendo quidem. Vale. Patuij quinto Nonas  
Martias.

CHRIST. LONG. BAPT.

EGNATIO S.

**M**isit ad me literas tuas hodie Romulus Amazeus,  
Miucundas illas quidẽ mihi & expectatas, sed eo sanẽ  
tẽpore à te scriptas, cum hic de Villanouano iã confecisse-  
mus. Collocatus est enim à nobis apud adolescẽtẽ quẽdam  
cũ honesto in primis loco natũ, et optimis deditũ studijs, tũ

A 4 60



eo etiam fortunæ splendore ornatum, & sic erga Villano-  
 uanū animatum, ut utriq; optime consultum arbitremur.  
 Quamobrem cum iam nihil est quod eius causa labores:  
 tum uero tibi & meo & ipsius Villanouani nomine gra-  
 tias ago quàm possum maximas, nō de eo solum quod mea  
 causa in eū contulisti & studij & officij, sed de tua quoq;  
 ad eum suscipiendum, si res coëgisset, uoluntate, quam mi-  
 hi per literas tuas humanissime atq; liberalissime detulisti.  
 Equidem, et si domo tua non est usus, tamē qui eā illi pate-  
 re uoluisti, perinde me tibi astrictum iudico, ac si apud te  
 uixisset. Quòd autem in interiore tua epistola grauiorem  
 te mihi aduersariū constituis, quàm ij fuerint ipsi, qui me  
 Romæ indignissime diuexarunt: iocaris in eo tu quidē acu-  
 te, nec amice minus quàm opportune, qui nunc deniq; lite  
 secundū me à Senatu P. Q. R. honorificentissime data, in ca-  
 pitis iudicium me tam longo interuallo retrahas, & unus  
 ex omnibus iugulum hostiliter petas meum. Sed nihil agis.  
 Veritas multorum gladijs peti potest, iugulari nō potest.  
 Nec enim, quod tibi quasi telum acerrimum sumis, ingra-  
 tus in patriam uideri possum, qui me Macliniensem sem-  
 per & ubiq; sum professus, eaq; de Maclinia ornamentis  
 & tum prædicauī, et postea scripsi, quæ perpetuo mea in  
 patriam charitatis testimonio fore non despero. At Gallus  
 uideri mauis quàm Germanus. Ne istius quidē unde conie-  
 cturam ducas, uideo. tu quidē certe nihil affers, cur ita tibi  
 uideri debeat. Sed nec ea sanè res ad Maclinia quicquam  
 pertinet, quæ siue Gallia attribuat, siue Germania, ni-  
 hilo inde obscurior sit aut illustrior. Non enim ullo natio-  
 nis & circumfusarū gentiū nomine clara est: sed tum ciuū  
 suorū uirtute atq; gloria, tū ipsius urbis elegantia et amœ-  
 nitate celebris hominum memoriæ atq; beneuolentiæ com-  
 mendata

mendata



mē data est. Carolus quidē Cæsar inter tot regnorum nomina, inter tot imperij titulos, Maclinensem principem sese inscribit, idq; more maiorū, qui eam quasi nullius Prouinciæ regionibus circūscriptam, numero semper exemerunt, & unde finitimæ gentes omnes ius peterēt, esse uoluerūt. Ac profecto sic serres habet, quemadmodum in altera defensionum mearum oratione disputauī. Dijudicari uix potest, Germaniæ Maclinia sit an Galliæ. Facit lingua, imperium, uulgi opinio, ut Germaniæ ascribēda uideatur. Rursum hominum ingenia, mores, uictus, uestitus, ac ille gētium omnium celebratus monimentis Galliæ ac Germaniæ limes Rhenus eam Galliæ adiudicat. Quæ quidem mihi causa est, ut utrisq; honestissime cupiam, & hos bellorum motus inter eos componi exoptem potius quàm alteros cum aperta reip. Christianæ pernicie uincere aut uinci. Sed ad id redeo, quòd ais cæcos fuisse aduersarios meos, qui illud de duabus sellis non uiderint. Viderūt Egnati, & in altercatione etiam mihi obiecerunt: sed contrā atq; tu. Nam cū à me quærerent cuiatis essem, qui nec Gallus nec Germanus essem, ita occurri, ut me & Gallum esse & Germanum dicerem. hic de duabus sellis cum nescio quid illi cauillarentur, etiam tribus me sedere dixi, qui præterea Romanus iā essem. Hoc illis nō ferentibus, & os hominis clamantibus, respondi, quod negare non poterant, Mundanum esse me, & patriam à me eam duci meam ubicunque & mihi et uirtuti locus esset. Atq; ita sanè est: ciues meos eos numero omnibus, quicumque nec à pietate Christiana, nec à literis nostris abhorreant: nec tum Romæ tam de adipiscēda ciuitate contendit, quæ necopināti & absenti delata esset, quàm ne improborum quorundam hominum conspiratione ex ea turpiter eijceret. Hæc ad te scripsi paulo uerbosius for



tasse quàm tu uelles: sed si in eo te offendi, qui longiori ita  
 li tuæ disputationi plenius responderim, tu me uolumini-  
 bus posthac obruas tuis licet. Vale. & me, quod facis ama.  
 Patauij, III. No. Mar.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
 GRIMOALDO S.

**N**Vnquam uberiores ad me dedisti literas, ijs quæ mi-  
 hi hodie sunt redditæ, cum paulò antè ab Egnatio  
 epistolam accepissem. In tuis cum omnia mihi fuerunt iu-  
 cunda, tum uero id iucundissimum, quod de fœderis inter  
 Francos & Heluetios isti ratione addidisti: tametsi nihil  
 ego à Caribus illis bona fide actum iri puto. Nolim ita  
 sit, sed mihi insignem aliquam cladem, non tam hostiũ uir-  
 tute quàm Alpinorum auxiliorũ perfidia Franci acceptu-  
 ri uidentur. Consilia Prosperi Columnæ eadem plane esse  
 suspicabar, quæ tu prudenter auguraris. Est enim minime  
 stultus, neq; in subeundis periculis nimium audax. Aliquid  
 sit omnino oportet, quod eũ ad perferenda obsidionis in-  
 commoda adduxerit. Sed hoc propediem res ipsa nos do-  
 cebit, quæ quidem diu duci non potest. Noua ista alea ra-  
 tio plane nostra est, & à nobis Loteria, quasi uasculariam  
 dicas, appellatur: ab argenteo scilicet uasorũ ad abaci or-  
 namentum apparatus, qui ita inter eos, quorũ in sortẽ con-  
 iecta sunt nomina, distribuitur, ut cuiq; aliquod uas obti-  
 gerit. Quòd autem eo ludi genere te minime delectari si-  
 gnificas, nec committendum putasti, ut pecuniam tanto pe-  
 riculo exponeres meam: agnosco prudentiam & tuam  
 erga me beneuolentiam, qui nihil de rationibus nostris sta-  
 tuas, quod non sit periculo uacuum. Marcilio uelim res  
 ista bene & feliciter eueniat. quanquam uereor, ne si ex  
 animi nostri sententia ei ludus procedat, ita superbiat, ut  
 nos



nos contemnat: sin damni aliquid faciat, ne iratus taceat, aut certe tristius quàm expectamus rescribat. Tu modo da operam, ut de exitu negocij primo quoque tempore fiam certior. Sic enim ad id quod scripseris, literas meas accommodaro. Vellem in aliud tempus literæ tuæ incidissent: agerem tecum subtilius. Nunc cum & Egnatij literis responderim, & Hilaribus hæc ipsa scripserim, plus mihi fecisse uideor, quàm mihi per genialis huius diei hilaritatem liceret. Vale. Patuij, III. Non. Mart.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**P**Vdet me quòd cum rarissimas ad te dem literas, nullas etiam mittam nisi commendatitias: sed cum nihil ferre est quod scribam aliud, tum uero tua in me beneuolentia uel hic tam nota est, ut si cui uel autoritate uel potestate tua sit opus, is per me potissimum tibi commendari uelit. Ego autem etsi ea te æquitate atque animi constantia præditum esse exploratum habeo, ut gratiæ locus apud te non sit, qui quid res ipsa & causa postulet, non quid homines cupiant, pro singulari tua prudentia atque iustitia animaduertere soleas: tamen interdum facere non possum, quin necessarios meos hoc officij genere prosequar, eos præsertim, quos nec amicitia nostra indignos, & salua dignitate atque fide tua abs te iuuari posse confidam: ut hoc maxime tempore. Narrauit enim mihi Leonardus Pomarus medicus, quid Lugduni Petro Pomaro filio suo accidisset: quem quadruplatorum delationibus oppressum, & in uincula coniectum, istuc tandem indignissime raptum esse diceret, capitis apud uos dicturum causam, non de ullo quidem suo scelere illum, quem læsæ religionis nemo insimularet, sed quòd patrem suum impietate

pieta



pietatis falso accusare nolisset. Atqui nihil necesse est, omnia ut hic commemorem. Notam enim tibi eorum causam esse scio. quāquam ut pater ipse tibi satis notus sit, uereor. Est autem uir plane bonus & doctus, & in ea quam profitetur, medēdi arte longe peritissimus: mihi uero tum his de causis, tum quod ad me amandum iam olim accesserit, sanctiore quodā necessitudinis uinculo ita coniunctus, ut ad meum erga ipsum amorē nihil omnino addi possit. Ac quando in caput absentis patris miser istic torquetur filius, bonaq; eius quasi hominis indicta causa impietatis damnati, publice iā possidentur: dicā tibi uere & ex animo, quid de hominis sensu atq; religione non nūc primum existimarim. Sic enim habeto, tam longe mihi semper abesse Leonardum ab illa Hispaniensi superstitione uisum, ut eū etiam cum primis optime de Christiana pietate persuasum iudicarem. quam quidem in sententiam sum adductus eū singulari hominis doctrina & probitate, tum uero quotidianis & accuratis eius sermonibus, quibus mecum ille & Lugduni persepe, & Venetijs ita semper est usus, ut ipse me prae illo in Christianis literis rudem, in persuasione nostra etiam si non repugnantem aut barbarum, tardum certe et duriozem esse arbitrarer. Neq; uero me fugit, quā non sit temere de pia alterius uoluntate pronūciandum, ne ex uultu quidem, aut ex oratione ipsa: quae etsi quaedam est animi imago, sepe tamen mentiri potest & fallere. sed multo sanē est arrogantius & periculosius homini Christiano, solis suspicionibus commoto de nefaria ciuis sui cogitatione iudicium facere. Iesus quidem Christus ipse, se unum occultae hominum impietatis & iudicem esse uoluit & ultorem: grauisime ijs etiam minatus, qui de huiusmodi causis quicquam statuissent, nec eas ad se totas integrasq; reiecis



ieciſſent. Nam quòd Lugduno profectum eſſe Leonardum calumniatur, ne ei dies eo nomine diceretur, qui quidem aliquot antè annis graſſante illic ſæuiſſima peſte diſceſſit, quàm in hoc hominum genus inquiri cœptum eſſet: nū tamen continuo impius ſit, ſi cum temporum noſſet rationē, nec ſe mediocri ardere neſciret inuidia, quòd & Hiſpanus eſſet, & locuples haberetur, ſordidiſſimorum quorūdam, & tamē gratioſiſſimorum hominū, à quibus fortunæ ſuas certa iam ſpe deuoratas eſſe intelligeret, calūnijs ſeſe ſubtraxit, atq; mature eripuit? Addunt delatores eius id quod extra Hiſpaniam Hiſpanis penè omnibus uulgo obijci, & quod grauiſſimū eſt, temere etiā credi uideo. Eiuſdem criminis reū ex Hiſpania illum iam pridem profugiſſe. Quod ipſum ſi tam uerū eſſet quàm certe falſum eſt, eſſet tamen, mea quidē ſententia, iniquum, tātō præſertim interuallo, externis eum præiudicijs dānare, eius in primis gētis, cuius ipſe odio in inuidiā ac periculum nūc uocaretur. Nō enim ignores totā iſtam cauſam inde pēdere, quòd in Hiſpania ſit natus. Sed fuerit ſanè uel publico iudicio & iure illic damnatus: an illi in huiuſmodi crimine, inter homines religioſiſſimos poſtea pœnitere nō licuit? Profecto enim multis in Gallia annis uerſatus ſic uixit, ſic liberos Lugduni procreauit, ſic eos in iſto ſtudiorū domicilio optimis & artibus & moribus inſtituēdos curauit: deniq; ſic ſe erga omneis geſit, ut cum alios pleroſq; homines, prudētiſſimos atq; ſanctiſſimos ad amicitiam ſuam adiunxerit, tum uero etiam Iac. Fabrum & Car. Bouillum uiros ſumma uirtute, atque maximarum rerum ſcientia ornatiffimos, ita ſibi deuinxerit, ut eum illi dignum iudicarint, quem immortalibus ſuorum ſcriptorum monumentis poſteritati commendarent. Ac uide mi Barma quàm inique & præpoſtere eorum

rum



rū hodie imitemur mores, qui Christianos homines quon-  
dam proſcriberent. Dabant illi operam, ut quicumq; Chri-  
ſtiani numerarentur, non modo ſpe ſalutis, ſed etiā magnis  
propoſitis præmijs ad priſtinam impietatem reuocarētur.  
Nos uero eos qui recte & nobiſcum ſentiunt, ad eiuran-  
dum Chriſtum ipſum cogimus. Proſitentibus quidem cer-  
te illis ſe Chriſtianos eſſe, non credimus: deteſtantes impie-  
tatem, quæſtioni ſubiicimus: tormentorum ui eo actos fāte-  
ri, hoſtiū numero habemus. Apud illos ſi quis uerbo Chri-  
ſtianū ſe negaſſet, ſtatim dimittebatur: Apud nos nec Chri-  
ſtianæ pietatis profeſſio, nec ulla actæ uitæ innocētia ad di-  
luendum impietatis crimē ſatis eſt. Adeo quædā hominum  
peſtes uel ſuſpitionibus ſuis ſcelerate indulgent, uel etiam  
alienæ auaritiæ turpiter crudeliterq; inferuiunt. Sed quid  
ago? cauſam hominis, & uehemētius quidē ago, cuius mo-  
do religioni teſtimonium apud te per literas dare cōſtitue-  
ram: & filium tibi comēdare, quem iſtic ex uinculis cau-  
ſam miſerabiliter dicere audio. Cōmouit me ſcilicet rei in-  
dignitas: ſimul & illud ueritus ſum, ut ſi in re minime uul-  
gari & tāta, uſitato literarū genere eſſem uſus, ne tu hanc  
meam commendationem uulgarē duceres. Itaq; ſi quid un-  
quam mea cauſa uoluſti, ſi me uirum bonum, ſi minime in-  
rogando ambitioſum, ſi alieni ingenij exiſtimatorem non  
ſtultum eſſe putas: peto nunc à te, primum ut tibi perſua-  
deas, ſic me de Pomaro patre ſentire, ut de eo qui de per-  
ſuaſione noſtra ſentiat optime: Deinde, ut filium eius ado-  
leſcentem optimum, & quod conſtat, non ulla quidem ſua  
culpa, ſed pietate potius & patris fortuna calamitoſum,  
ſaluum eſſe & incolumem per te uelis. Hoc ſi feceris, cum  
ego te hominis plane Chriſtiani officio perfunctum eſſe  
iudicabo, tum abs te beneficium apud homines humanita-  
te tua



te tua dignos & memores præclare positū esse tibi præ-  
stabo. Mihi quidem ipsi gratissimum feceris, qui Leonar-  
di Pomari causa, omnia tum uelle, tum cupere debeo. De  
rebus meis quod tibi scribam, habeo prorsus nihil, nisi me  
in summa suauissimi atq; honestissimi ocij facultate studijs  
meis hic perfrui, ea nimirum spe atque mente, ut ista a me  
omnia non temere esse relicta homines nostri aliquādo in-  
telligant atq; cognoscant. Vale.

CHRIST. LONG. P. BEMBO S.

**N**on dici potest, quāta me hodie Flavius Chrysolinus  
uoluptate affecerit. prorsus incredibili. Confirmauit  
enim mihi ex Cole nostri literis depulsum esse abs te uete-  
rē istum & difficilimū morbum. Equidē etsi superioribus  
diebus audierā, primū, quartanæ frigus à te prorsus disces-  
sisse, deinde calorē quā leuissime accedere, postremo hūc  
quoq; reuerti desijisse, ita ut & tu omnium sententia febrim  
omnino careres, & ego ipse mihi his timoribus atq; mole-  
stijs, in quibus propterea mēses octo iacueram, plane libe-  
ratus uiderer: quia tamē longiore circuitu febres interdum  
redire atq; omnē uim morbi in septimanā aut in decuma-  
nam etiā cōuerti posse ex medicorū libris didicerā, nullam  
sum adhuc ausus literis meis gratulationē complecti. Nunc  
autem cum iam bis, ac, nisi me dierum fallit ratio, etiam  
ter, nulla in diem tuum <sup>an</sup> <sup>is</sup> incurrerit, sic ut partim dili-  
gentia atque temperantia tua, partim ipso anni tempo-  
re & clementissimæ huius tempestatis beneficio recupe-  
ratam esse ualitudinē tuā mihi persuadeam, faciundū puta-  
ui, ut meis tibi literis, q̄ ista mihi res grata esset ac iucūda,  
statim significarē. Scio equidem mihi non necesse hoc esse  
apud te, qui pro mea tibi iam pridem perspecta et cognita  
erga te obseruantia id iudicatū habeas & exploratū: sed  
meo

meo



meo sanè gaudio aliter satisfacere non queo, nisi letitiam meam per literas tibi quoquo modo deferam atq; declarè. Quare cum tibi etiam atq; etiã gratulor mi Bembe suavisime atq; charissime, tum uero deũ immortalem precor ut te saluum & incolumem nobis in perpetuum conseruet: & quando huc iamdiu spectas, Patauij te propediem firmum atque ualentem sistat. Vale. Patauij, x i i i. Calend. April.

CHRIST. LONG. HIERONYMO  
SAVORNIANO S.

**V**ENIT ad me hodie Constantinus tuus: qui cum me & tuis & suis etiam uerbis sanè quàm liberaliter salutasset, multaq; à me tum de studijs, tum de rationibus tuis familiariter rogatus permodeste ac ingenue respondisset: uisus est mihi adolescens, ut nihil dicam aliud, te tali ac tanto patre multo dignissimus. Tu uero quòd in me tam officiosus es, ut tuorũ neminẽ huc unquã dimiseris, quin mihi ab eo salutẽ tuo nomine impertiri uolueris plurimã: est id quidẽ mihi apprime gratũ, nec ab ista tua singulari humanitate sanè alienũ. Nã quòd me ad Asopũ tuũ inuitas: currentẽ, ut aiunt, tu quidẽ incitas. feror enim istuc iãdiu mea sponte. tum ut consuetudine tua, quam unam ex omnibus facio plurimi, per ocium aliquando fruar: tum ut arcẽ istã, quam tua uirtute atq; animi magnitudine defensam in omne tempus nobilitasti, uisam & spectem. sed nihil dum animo meo morem gerere potui, neque uero id ipsum tam propter institutam studiorum meorum rationem, quã nulla peregrinatione conturbari libenter uellem, quàm quòd idoneum ad hoc iter uel ducem uel comitem adhuc nõ sin nactus. Nunc uero cum Bẽbus etiã noster isto spectare uideatur (sic enim de filio tuo audio) nõ committã ut is sine me ad



me ad te ueniat. De reliquo dabitur à me opera, ut istius tue erga me uoluntatis, ne te unquam poeniteat. quanquã enim ea fortuna mea est, ut tecum, istius splendoris uiro, paria facere non queam: officio quidem, & studio certe & amore tecum ita certabo, ut in eo amicitie genere primas haudquaquam laturus esse uideare. Vale. Patuij, XIII. Calend. April.

CHRIST. LONG. OCTAVIANO  
GRIMOALDO S.

**N**ihil tam præter opinionem meã adhuc accidit, quã ut in tanta tabellariorũ copia, loco tam propinquo, tot nouis in dies singulos istuc allatis rebus, literas tamdiu desiderarem tuas. Alter certe est hodie & uigesimus dies, cum nihil abs te; qui me cum alijs de rebus erudire potuisti multis, tum uero quid uel lucri uel damni sortes istæ Marcilio nostro attulissent, diligenter docere. Hoc enim ut faceres, posterioribus meis ad te literis nominatim petieram. Itaq; quando tu tacendi finem facis nullum, ego scribendi faciam initiũ: neq; me pudebit à te taciturnitate uinci, modo te literarum mearum officio uictum esse fateare. Scis enim cum mihi tecum initio conuenisset, ut ego ad duas epistolas tuas septimo quoq; die una responderem, rem contrã omnino cecidisse. Tu enim ad binas meas literas, uix singulis, idq; maiore etiam interuallo, rescripsisti: cum tamen tibi Italica lingua multo sit uti facilius, quã mihi aliena & Latina. Scilicet nihil est quod scribas, tanto ardente bello Italia, tanto in Insubribus partium conatu. Nam ualere te, ex multis qui istinc uenirent, & tecum multũ fuissent, nuper didici. At enim summis occupationibus distringeris. De hoc ipso etiam Gallos illos homines cum accurate percunctatus essem, otiosum te &

B admodum



admodum hilarem uisum à se affirmarunt. Reliquum est. ut in eos culpam conferas omnem, qui epistolas accipiant, nec ad me perferant. Velim ita sit. nihil enim minus uolo quàm ut in amicitia nostra accusere. sed tu fac diligentia tua, tabellariorum ut uincas negligentiam: ne si quãdo epistolæ nostræ in manus hominum ueniant, nō tam ego ineptus aut impudens, qui literas tuas semper flagitem, quàm tu inhumanus iudicare, qui amicū hominē toties & tãdiu literarum tuarum desiderio torqueas. Sed tu forsitan epistolas meas unius non facis assis, qui tibi in singulas erogãdus est. Id si ita est, uel de eo maxime certiore me facias uelim. Inibitur enim à me ratio, quemadmodum sine tanto tuo sumptu officium meum tibi præstetur. rarius enim scribam, & uberius. Tu tamen in eo nolim me imitere, qui & crebras & ponderosas à te literas semper expectē. Quid Mediolani, quid in Gallorum castris actum sit, scire de te uelim. Hic enim inconstantissime narrantur omnia. De Franc. item Roboriano, Aestensi Alphōso, Rauēnatibus, Barriano duce, Iulio Medice, Fulgosijs tuis siquid ascripseris, per mihi iucundum, per que gratū feceris. Sed quid singula persequor? qui de omnibus, quæ in Italia & extra Italiam gesta sunt, modo istic nūtiata sint, certior abs te fieri cupio. Quòd si non facile tibi in mentem ueniunt quæcunq; digna literis quotidie audias, *ἄλλοτε* quandam in eo rationē sequare licet. Scripturus enim ad me omnia primum insignia Italiæ oppida mentis oculis collustrato. Deinde animum in Hispaniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, Pannoniam, ad ipsum deniq; Turcarum Regem referto. Sic enim nullo negotio in memoriam rediges, uel tibi occurret potius, quicquid eo die epistola dignum acceperis. Misi ad te nuper nescio quid de quodam Hispano homine



homine, qui P. Alcyonij in faciēdo Aristotele Latino errata Bononiæ colligeret. Nunc illud adijcio, ea iam edita esse, & huc missa cum hac inscriptione, Errata Petri Alcyonij in interpretatione Aristotelis, à Ioanne Genesio Sepulueda Cordubensi collecta. Hoc, si tibi uidebitur, Alcyonio significabis, aut per alios certe denuntiandum ei curabis. Sed si bene te noui, ipse tu denuntiabis, ut hominis ad tantæ contumeliæ nuntium, uultum uideas: quod unum sane spectaculum tibi magnopere inuideo. Nunquam enim is ex oculis laborabit, qui tum eius frontem spectarit. Hanc epistolam simul atq; legeris, uelim concerpas, aut ita ut ne unquam emanet, comprimas. Vale. Patauij, x. Calend. Apr.

## CHRISTOPHORI

LONGOLII EPISTO-

LARVM LIB. IIII.

CHRIST. LONG. MARIANO  
CASTELLANO S.

VODETRIGINTA circiter diebus ad superiores tuas literas rescripseram, cum alteras à te accepi: sed eodem penè exemplo datas. Tantum enim in his modo de cessatione mea quereris: de qua me tibi iam satis purgatū arbitror, si quidē proxima mea ad te epistola tibi est reddita. Panegyricos tuos uelim luculētius et accuratius descriptos mihi mittas. Quos enim habeo, ne ipse quidē eos possum legere aut etiā intelligere: adeo sunt mēdosi, et rustica nescio cuius librarij manu

B 2 non